OPUSCULA AD HIERARCHICAM ECCLESIÆ CONSTITUTIONEM SPECTANTIA

Giacinto Sigismondo Gerdil

OPUSCULA
AD
HIERARCHICAM
ECCLESIÆ
CONSTITUTIONEM
SPECTANTIA.

VENETIIS,
APUD THOMAM BETTINELLI.
CUM FACULTATE.
MDCCXC.

214

VIRO CLARISSIMO
N. N.

En tibi Opuscula, quibus accurate, studioseque, ut biennio jam ante fecisti, legendis, ac recognoscendis, non molestiam tantum omnem absterrit, verum & nonnihil etiam voluptatis capere singularis tuus in me amor coe-

git. Quod vero pridem ac plurimum hortaris, ut ea tandem sinam exire, quod & alii fecere amplissimi Viri, quibuscum ea communicavi, id quidem sentio, quantum valere deberet, ad eam, quam in me nosti cunctationem vincendam, nisi continuo subreperet molesta cogitatio, num forte non id vobis in hac vestra plena humanitatis cohortatione contigerit, quod in amicitia plerunque solet evenire, ut quantum auctoritatis habitura esset judicii gravitas, tantundem propensæ voluntatis inclinatio detrahat. Nil dicam de susceptæ causæ dignitate, quam norunt omnes: nil de mea, qualiscumque sit, argumenti tractandi facultate, de qua meum non est præcipere Tibi quid sentias. Ut ut sit; Opuscula, quæ sæpe rogasti, omni cura deposita, fidei tuæ commendo, hac me

interim læta spe oblectans, quidquid a Te deliberatum, probatumque fuerit, ab Tui similibus, quibus unis placere cupio, comprobatum iri.

INDEX.

PARS PRIMA.

PARS ALTERA.

DE RATIONE
INEUNDÆ CONCORDIÆ
CATHOLICOS INTER ET HETERODOXOS

EPISTOLA

AD CL. VIRUM N. N.

Pergratæ mihi fuerunt litteræ tuæ plenæ officii, Vir clarissime, quæ insigne quoddam præseferunt, omnique laude dignum de Catholica Religione benemerendi studium, cum eximia tuæ in me benevolentiæ significatione conjunctum. Et ego quidem magnopere vellem non tam longe abesse ab ea virtutis laude, quam mihi pro tua humanitate tribuere voluisti, quo & perhonorificæ tuæ in me opinioni aliqua ex parte respondere, & quod majus est, tuis juvandis conatibus, quod cupere videris, paratior possem accedere. Nihil est enim in quo Vir Catholicus cogitationem omnem & operam laudabilius insumere, ac ponere valeat, quam in parandis viis, quibus ad

Catholicam unitatem redeant, qui misere olim ab ea desciverunt, ut qui sumus uno baptismate abluti, una quoque (ipsis redeuntibus) fide constricti, unanimes honorificemus Deum, sitque Populo ad æternitatem vocato una fides mentium, & pietas actionum. Scilicet eo scripto, quod cum tuis litteris perferendum ad me curasti, nunciabas plurimos inter Protestantes, ex his etiam, qui maxime apud ipsos doctrina, muneribusque florent, passim ab Augustana jam, aliisque Confessionibus, librisque Symbolicis recedere, Dogmata oppugnare, quæ a suis majoribus retenta fuerant, nec vereri palam declarare, quo jure, quave libertate Lutherus olim, ejusque Adstipulatores Ecclesiæ Catholicæ restitere, eo se jure, ac libertate adversus primos illos novarum Sectarum Auctores uti velle: Sic porro Socinianismum, Deismum, aliasque hujus generis pestes, quas inanis Philosophia, seu insana opinandi licentia peperit, latius in dies sese quaquaversus effundere: Hinc factum, ut Protestantes haud pauci de principiorum suorum levitate admoniti cogitare cœperint de redintegranda nobiscum unitate, & concordia, eamque se vehementer capetere significaverint. Quod hanc in rem memoras agitatum jam, pertractatumque fuisse, supervacaneum est referre.

Ut ad rem potius, causamque veniam, patieris me quod sentiam paucis aperire, non quod ea te docere, aut monere velim, quæ tibi perspectissima esse non dubito, sed ut quod Catholici officii maxime proprium est, nostram communem sentiendi rationem tecum ipse communicem. Imprimis ergo sic existimo, dum studemus firmam, stabilemque inire concordiam, ab iis temperamentis cavendum, quæ ad optatæ concordiæ stabilitatem convellendam plurimum dein ceps commoditatis, & licentiæ afferrent. Hac potissimum de causa, ut scribis, concordiæ studiosi Protestantes principiorum, quibus hactenus innixi sunt levitatem, & inconstantiam animadvertere cœperunt, quod qui ex ipsis labuntur in Socinianismum, Deismum, aliosve hujus generis, Religioni perinde, ac Reipublicæ infestos errores, palam profiteantur sibi ennecesse oportere, ut quam licentiam rumpsit sibi Lutherus adversus Ecclesiam, eamdem ipsi sumant adversus Lutherum. Qua in re videmus in Luthero renovari quod pridem Sanctus Augustinus notavit [a] in Donato comprobatum Evangelicum dictum: *In qua mensura menti fueritis, remetietur vobis:* Sicut enim, inquit, Christum ille dividere conatus

(a) De Agone Christiano Cap. XX.

222

est, sic ipse a suis quotidiana concisione dividitur, divinoque judicio effectum, ut qui Ecclesiam percussisset lingua litigiosa, eadem ipse concideretur a suis. Igitur tota ratio pertractandæ concordiæ, siquidem firmitatem habitura est, dignam Christiano nomine, ad ea principia revocanda est, quibus Ecclesia & ab initio est a Christo instituta, & deinceps omni consequenti ætate per Apostolos, eorumque Successores una eademque in universum Orbem propagata. Christus docendarum Gentium Apostolis demandavit munus amplissimum, divini Spiritus a quo docendi erant omnem veritatem afflatu, ac ductu in ævum omne continuandum. Hac auctoritate præditi Apostoli, & qui ab eis constituebantur Ministri Verbi sic docebant, ut his quos in Ecclesiam cooptabant quid credendum, quid agendum ex imperio, & instituto Christi præscriberent. Ac vicissim, qui se illis adjungere, Christoque nomen dare vellent, doctrinam ab illis traditam, non ut verbum hominum, sed sicut est vere, verbum Dei susciperent [a]. Atque ut verbum Dei unum est, & immutabile, sic una erat, eademque immutabilis fidei regula, quam in omnibus Ecclesiis tradere se Apostolus profitebatur,

(a) I Ad Thessal. c. II, v. 13.

cujusque depositum sancte custodiendum Timotheo commendabat. Qui vero, velut Hymenæus, & Philetus traditæ fidei regulæ pertinaciter obsisterent, novaque & sua invehere tentarent, ii Apostolica auctoritate ab universalis Ecclesiæ communione segregabantur, nec amplius censebantur ad ovile Christi pertinere, qui ab illis erudiri se ac regi nollent, quos Christus ovibus suis pascendis, ac regendis præfecisset. Hac fidei, & communionis unitate, qua universæ per Orbem Ecclesiæ sub uno capite consociantur, continetur maxime ac efflorescit universalis Ecclesia, ex omnium Gentium diversitate collecta, in ævum omne duratura, ipsa, inquam, Ecclesia, quæ in Symbolo, ut ait Augustinus [a], post Trinitatis commendationem credenda proponitur, *Ecclesia sancta*, *Ecclesia una*, *Ecclesia vera*, *Ecclesia Catholica*, quam ille apprime distinguendam monet a Congregationibus Hæreticorum, quas illi quoque vocant Ecclesias, nec tamen sunt Ecclesia [b]; Ecclesia nimirum illa, quæ vel a suis Inimicis Catholica nominatur, nec ad illam pertinent. Hæc a suis primordiis inductam Christi instituto formam retinuit tradendæ Fidei re-

(a) De Symb. ad Catech. cap VI.
(b) De ver. Relig. cap. VII.

gulæ quibuscumque vocati essent, ac præordinati ad credendum [a], qui tum demum Christum Patrem habere inciperent, cum per Ecclesiam Matrem nati fuissent. Quicumque divina vocatione inducti ab Ecclesiæ Præsulibus ingressum in Ecclesiam peterent, primum inter Catechumenos recensebantur, non ut de doctrina Ecclesiæ cum Ecclesia contenderent, sed ut dociles audirent [b], quæ fides, & qualis vita debeat esse Christiani; nec illis tantum Symboli verba memoriæ mandanda, & reddenda tradebantur, sed cum familiare esset Hæreticis sub Symboli verbis venena sua occultare, singulis articulis pia, cautaque diligentia uberior explicatio adhibebatur, qua & sententiam verbis subjectam planius intelligerent, & contra grassantes hæreses Catholica auctoritate munirentur. Moris hujus ab Apostolicis usque temporibus ab Ecclesia retenti, præter Augustini aliorumque priscorum Patrum testimonium fidem facit vetustissimus *Ordo*, quo solemnis Baptismi Ritus continetur. Quisquis Adultus, ut nunc fit etiam, ad regenerationis Sacramentum properaret, rogabatur primum quid ab Ecclesia Dei peteret: petere se

(a) De Symb. ad Catech.
(b) De Fid. & oper.

Fidem respondebat. Non ei tum Sacri Codices tradebantur in manus, ut ex eis propria interpretatione credendi regulam erueret, suamque sibi fidem fingeret, sed quam ab Ecclesia fidem petebat, eam Ecclesia pro suo jure amplectendam illi, ac fideliter servandam proponebat. Si qui antequam cooptarentur hæsitantem adhuc animum, ac difficultatibus implicitum ostenderent, eas quidem opportunis argumentis eximere Doctores Ecclesiæ non renuebant: Verum quod probe notandum, nulla unquam sic est instituta, aut suscepta disceptatio, quasi Ecclesia, aut de suis Dogmatibus ullo pacto dubitaret, aut quo facilius exteros ad se alliceret, vel minimum quidquam de credito sibi deposito remittendum censeret.

Hac norma, hoc instituto prima Principis Apostolorum prædicatione aucta est Ecclesia insigni Credentium multitudine inter Judæos: Aucta deinceps accessione Gentium, quas Deus voluit per os Petri [a] audire verbum Evangelii, & credere. Ac primi quidem [b] illi Credentes, qui Petri sermone recepto baptizati sunt, perseverantes fuisse memorantur in doctrina Apostolo-

(a) Act. XV, v. 17.
(b) Act. II.

rum, & communicatione fractionis panis. Porro doctrina illa haud saoe censeoda est tota comprebensa fuisse sermone illo, qui scriptus refertur; quippe ibidem Sanctum Apostolum alia plurima verba uberioris testationis, exhortationisve gratia subjecisse dicitur, quæ licet scripta non fuerint, non ideo excidisse, aut ad sanciendam, explicandamque fidem, ac doctrinam minus valuisse putanda sunt. Jam vero Fideles, qui assidue commuoicabant in fractiooe Panis, quis putet de taoto Mysterio suo quemque sensu statuisse, non proprium sensum ad communem Ecclesiæ fidem, & intelligentiam accommodavisse? Quin etiam posteriori quoque ætate doctrina Ecclesiæ de Mensa Domioi non ante Proselytis aperiebatur, quam recepto Baptismate, ac præstita obedientia fidem suam fidei Ecclesiæ obligavissent.

Hæc sunt ioitia, & primordia nascentis Ecclesiæ, a quibus illam aliquando deflexisse, aut aberravisse nemo putaverit, nisi qui putet etiam, quam Christus ad consummationem sæculi perpetuitatem pollicitus est, eam præstare non potuisse: Sic Ecclesia de se semper judicavit; ut certo crederet sibi Verbi divioi perpetuo custodiendum depositum a Christo commendatum esse: Apostolis proinde, illorumque Successoribus

aic datum munus docendi, ut simul collata potestas fuerit, quid Verbo divino consentaneum, quidve repugnaus, certo tutoque defiuiendi, suaque decreta irrefragabili sanctione illa muniendi, quæ ad perpetuam memoriam fuit olim ab Apostolis adhibita: *Visum est Spiritui Sancto & nobis:* Spiritui proinde Sancto resistere, qui Ecclesiæ sententiæ, & auctoritati parere detrectarent.

Ab hac primitiva forma longe absunt Congregationes illæ, quas Hæretici, ut ait Augustinus, Ecclesias vocant. Angustis istæ locorum, temporumque spatiis concluduntur: Catholica implet, quod de se prænunciatum est, ut omni ætate inter omnes Gentes longe, lateque diffusa cernatur. In Catholica communione auctoritas, quam ab Apostolis proximi eorum Successores acceperunt, in alios deinceps succedentes nusquam interrupta continuatione manavit: qui ab hac discessere suam ipsi sibi auctoritatem creare debuerunt, quam vetat interrupta successio, ne amplius ad Apostolos, nec adeo ad Christum referri queat. Itaque isti suis in condendis fidei formulis privatas interpretationes sequuntur, in quibus cum alii ab aliis dissideant, ad pacta, & transactiones, quasi de forensi lite, non de Verbi divini integritate ageretur, venire coguntur, qui-

bus aliquid tandem emergat, quod omnibus ex æquo placere videatur. Sed quo tandem hæc spectant? Sane quod uni Collegio, uni quam vocant Ecclesiæ placuit, id sequendum erit iis, qui volent ejus Collegii, Ecclesiæve participes esse: Ceterum sentiunt fatenturque clari apud eos Doctores pari jure, pari auctoritate alia Collegia pollere, ut statuant quid a suis vicissim teneri oporteat: nulli proinde Collegio jus esse aliis Collegiis, quid sequendum sit, inconcussa auctoritate præscribere. Farendum igitur nulli Collegio jus inesse formulæ usurpandæ, quam Apostoli adhibuerunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, qua profecto si quodvis istorum uti valeret, utique aliis concedere non posset, ut aliter docerent, ac tenerent. Nulla ergo ipsis nota relinquitur, qua Verbum divinum a verbo hominum tuto certoque discerni valeat. At Ecclesia Pontificum, Synodorumque auctoritate nullo unquam tempore desiit contra nascentes hæreses, quas futuris temporibus identidem exorituras Apostoli prænunciaverant, Verbi divini integritatem Suprema illa Spiritus Sancti, quam superius diximus, sanctione asserere, nec tot sæculis unquam dubitatum est quin ad regulam fidei pertineret quidquid fuisset hoc pacto adversus cujusvis temporis Hæreticos, velut Arianos, Macedo-

nianos, Pelagianos definitum. Quis vero nunc, vel inter ipsos Protestantes tantum tribuere audeat sive Augustanæ, sive aliis ejusdem untæ Confessionibus, ut certo, tutoque pronunciet velut Hæreticum, ac Verbi divini Proditorem habendum quemcumque contigerit ab illis vel uno apice dissentire? Sic illud quod Ecclesiæ proprium est, ac perpetuum insigne, ut sit Columna, & firmamentum veritatis, nullo loco in tanta dissidentium inter se opinionum varietate reperiri potest, nulla est ex illis peculiaribus societatibus, quæ adeo blandiri sibi valeat, ut in se una spretis aliis columnam veritatis constituat. Si uni Ecclesiæ id convenire oportet (sicut teste Apostolo prorsus oportet) non alia reperietur quam Catholica, quæ quod semel ex Christi instituto in Ecclesia fuit, amittere numquam potuit. Qui ergo ab ea Columna divelli se patiuntur, minime mirum est id experiri, quod omni retro ætate contigit, ut omni vento doctrinæ circumferantur, atque in illo æstu contentionum, quo jactantur, nil stabile reperiant, in quo firmi, tutique consistant. Uno verbo, cum nulla ex istis Sectis hujusmodi auctoritatem arrogare sibi valeat, qua de quæstione quavis ad Christianam doctrinam pertinente, quid regulæ fidei consentaneum sit, quidve repugnans, certo, immutabilique judicio

definiat, suæque amplectendæ sententiæ necessitatem Fidelibus indiscriminatim omnibus imponat: nulla est, quæ non apertissime careat ea nota, quæ maxime propria est Ecclesiæ, quæ perpetuo in Ecclesia viguit, nec in ea utpote ad custodiam depositi pertinens, desinere unquam potuit. Quo uno, ut alia prætercam, Societates illæ convincuntur non Ecclesiam constituere, sed penitus ab Ecclesia descivisse, qualis & ab initio constituta, & omni deinceps consequenti ætate progressa est, ac propagata.

Atque hæc quidem, quæ mihi scribenti exciderunt pluribus verbis, quam epistolæ ratio, pauci̇oribus, quam causæ dignitas postulat, eo animo, consilioque conferre tecum volui, quo plus enitendum est, ut ab Ecclesia depellatur invidia illa, qua laborare solet apud Protestantes, quod nec pacis conciliandæ causa quidquam velit de dogmatum suorum constantia remittere, nec patiatur, quæ semel definita fuerint, sic retractari, quasi minima ex parte revocari possent. Non id vitio Ecclesiæ verti debet, quod ex intima ejus constitutione manat, qualem eam Christus esse voluit, qualem se omni ætate præstitit. Scit illa creditam sibi a Christo fuisse doctrinæ suæ custodiam, nec licere, aut omnino fas esse de hac doctrina, quæ semper, & ubique una

eademque vigere debet, vel minimam partem deserere: Scit hac de causa traditam sibi potestatem de quæstionibus quandocumque excitandis irrevocabili judicio definiendi. Non posset illa de suis Decretis dubitare, quin simul, quod impium foret suspicari, dubitaret sibi aliquando spiritum veritatis defuisse, quem sibi semper affuturum Christus promisit. Quibus efficitur, estque plane consequens non aliam revertentibus planiorem viam parari posse, quam quæ primum ingredientibus olim patuit, ut fidem Ecclesiæ ab Ecclesia petant, accipiantque, & ut jam veteri Testamento adumbratum erat, ascendant in locum, quem Dominus elegit, ut ex ore Sacerdotis legem ejus requirant. Nec tamen Ecclesia Doctorum suorum ministerio prætermittit omni poscenti rationem reddere, omnique studio illorum offensionibus occurrere, qui ab ex desciverunt, eosdemque omni caritatis officio ad se revocare. *Nusquam enim*, auctore Augustino [a], *tam vigere debent viscera misericordiæ, quam in Catholica Ecclesia, ut tanquam vera Mater nec peccantibus filiis superbe insultet, nec correctis difficile ignoscat*.

Quod adjicis demum de dissimulanda paulis-

(a) De Agone Christ. cap. XXX.

per saltem initio Summi Pontificis auctoritate, profecto intelligis redire ad unitatem volentibus prorsus non posse caput illud dissimulari, in quo inest unitatis, seu Catholicæ communionis centrum, & vinculum. Equidem in id incumbendum, ut ex istorum animis evellatur falsa perinde atque infesta opinio, quam ab incunabulis plerique hauserunt de superbo, ac terrifico dominatu Pontificis. Magna sane Primatus auctoritas in Ecclesia, innumeris testata Sanctorum Patrum, Conciliorumque Generalium Sententiis, & Decretis, sed quæ tota demum refertur ad salutem Gregis, quamque sic exercent, qui ea potiuntur, ut monente Gregorio [a], sicut Patres [b] in nomine, ita affectu probentur in opere, nec præesse gaudeant, sed prodesse. Nihil est in tam moderato usu potestatis, quod moderatos Protestantes offendere, ac deterrere valeat, aut debeat. Non eos latet in Cornelio Centurione primum in Ecclesiam aditum gentibus patefactum esse: Cornelium porro divino jussu, ac monitu missum ad Petrum, ut audiret ab eo, quæ ipsum facere oporteret. Cur eos pigeat tam claris vestigiis insistere, ac eisdem gressibus, & auspiciis

(a) Regut. Lib. II, ep. 49.
(b) Regul. Pastor. Par. II, cap. 6.

in Catholicam redire? Cur non ament ab eo pasci, cui suas oves indiscriminatim omnes pascendas Christus commisit, quem tam longa sæculorum serie Pastorem sequi amarunt quotquot sanctitate, & doctrina, virtutibus, & operibus Ecclesiam illustrarunt?

Sed & istud, quod caput est, alte retinendum, magnum Dei donum esse vocationem ad fidem, enixisque proinde precibus a Deo implorandum. Agitur de fide, per quam accessum habemus ad gratiam istam, qua una salvi esse possumus, sino qua nec certare, ut oportet, nec repositam bene certantibus coronam justitiæ consequi possumus. Hanc sincero animo, hanc humili corde, hanc perseverantibus lacrymis postulare oportet a Patre luminum, qui dat omnibus affluenter, nec improperat. Quibus jam ejus inquirendæ pium studium, & affectum indidit, si Deum orare non desinant, ut quod in eis cœpit, compleat, ac perficiat. Festinent credere in lucem, dum lucem habent, ne pœnales illos tenebræ comprehendant, ac retineant. Vereantur omnino ne Spiritui Sancto moventi resistant, oblatumque fidei donum mundano affectu respuant, ac aspernentur. Utinam ergo magnum istud Dei donum gustare nobiscum aliquando valeant. Utinam possimus eos verbis illis alloqui, quibus Ec-

clesia Pastorum voce receptos in gremium Filios alloquitur: *In nomine Christi Plebs Dei estis, Plebs Catholica estis, membra Christi estis* [a]: *Non estis divisi ab unitate, communicatis membris Apostolorum, communicatis memoriis Sanctorum Martyrum diffusorum per orbem terrarum* [b].

Interea, Vir clarissime, sic me tuis litteris affectum existimes velim, ut de præsenti tuo in Catholicam Religionem studio vehementer tibi gratuler, & gaudeam, de tua eximia in me voluntate maximas, quam possum, gratias habeam. Teque summopere rogo, ut me tuis apud Deum precibus juvare velis, memor Apostolici moniti [c]: *Orate pro invicem, ut salvemini*; quod porro unum est necessarium. Vale.

(a) August. Serm. 37.
(b) De Ver. Div. Ev. Joh. c. XII, 12, 13.
(c) Jacob. 5.

DE

DE FIDEI CONTROVERSIIS

PER AMICABILES TRANSACTIONES

DIRIMENDIS

COMMENTARIUM

ADVERSUS BOEHMERUM.

ADmonet me superioris epistolæ argumentum paucis perstringere quæ Vir inter suos magni nominis Boehmerus de ineunda via compositionis disseruit ad emergentes de Fide, ac Religione controversias dirimendas. Sententias hominis, quæ latine perscriptæ sunt, totidem verbis ordine describam, ut subjectis animadversionibus pateat, quantum tota ista componendæ, transigendæve religionis ratio, ad quam conveniendi necessitas in summo dissentiendi arbitrio, Adversarios compulit, ab immutabili ea veritatis norma discedat, quam Christus constituit, quam servandam Ecclesiæ commendavit, perpetuoque, ac per omnes gentes servatum iri prænuntiavit.

Causam hanc attigit Boehmerus a primo ca-

pite Juris Ecclesiastici, quod de *Fide Catholica* inscribitur: Ac ille quidem interpretum more orditur ab vocis ejus interpretatione, quam titulus præ se fert, ejusque triplicem affert significationem:,, Situti vero, inquit, *Fides Catholica* ea varie sumitur, vel pro *doctrina universali*, ,, vel pro *formulis* per modum *legis* præscriptis, ,, vel pro *fiducia cordis in Deum*: ita notandum ,, est hoc loco *Fidem Catholicam* denotare *formulam fidei publice omnibus*, qui in *eadem* ,, *Ecclesia sunt*, *præscriptam sub lege necessitatis*, *ut conceptus suos ad eamdem forment*."

Doctrina Christi nonnisi una: nec adeo diversæ possunt esse pro diversis Ecclesiis Christianæ Fidei formulæ.

Atque hic quidem imprimis requirendum, quam ille doctrinæ rationem hisce formulis illigandam intelligat, num scilicet doctrinam divinitus traditam, an secus? Si divinitus traditam (quam profecto intelligere debet, siquidem agitur de Christiana institutione) hæc sane non unius, aut alterius duntaxat Ecclesiæ propria esse potest, ut ad eam conceptus suos illi tantum formare debeant, qui sunt ejus Ecclesiæ. Doctrina divinitus tradita ea est, quam Christus Apostolis suis commendavit, ut euntes in universum mundum eam omni creaturæ prædicarent [a], idque cum per se ipsos, tum

(a) Marc. XVI, v. 15.

per Successores, quibus & affuturum se pollicitus est ad consummationem usque sæculi. Doctrina hæc proinde nonnisi una esse potest, eademque vi sua universalis, seu plane Catholica, utpote per omnes gentes, & in omne tempus diffundenda. Absurdum est itaque cogitare diversas esse posse pro diversis Ecclesiis fidei formulas, ad quas conceptus suos formare debeant, qui sunt unius, alteriusve Ecclesiæ. Verbum divinum unum est, nec a se unquam dissentiens: Quod si ad hanc unam divini Verbi veritatem conceptus suos formare homines debent, una sit oportet, eademque universalis Fides, una etiam proinde, eademque universalis Ecclesia, in ea fide collecta, & cohærens, ut id Orbe toto terrarum verum, firmumque consistat, quod est ab Apostolo denuntiatum: *Unus Deus, una Fides, unum Baptisma*. Quisquis ergo diversas diversis Ecclesiis fidei formulas præscribit, docet homines formare suos conceptus, non ad normam doctrinæ divinitus traditæ, quæ nonnisi una esse potest, sed ejus doctrinæ, quam quisque, aut saltem quævis particularis Ecclesia sibi proprio arbitrio, vel judicio finxerit velut divinitus traditam. Quod per se se perspicuum est a Christiana institutione abhorrere quam maxime.

Pergit Boehmerus: „ Qui *formulariam* hanc An Apostolick

temporibus non alia fidei professio ad Baptismum requirebatur, præterquam Christum esse Messiam?

„ *fidem* ab Apostolorum temporibus derivant, „ næ graviter errant: Ne quidem *Symbolum Apostolicum* temporibus Apostolorum natum es„ se, probavit Auctor *Histor. Symbol. Apost.* „ Id unicum tantum in praxi primitivæ Eccle„ siæ observo, baptizandos professionem fidei „ suæ in Messiam edere debuisse, non certis „ formulis circumscriptam, sed sincero cordis „ affectu expressam, qualis erat Eunuchi in Act. „ c. 8: Neque enim tot de mysteriis controver„ siæ jam natæ erant, ut necessum fuerit de „ formulis fidei accurate determinandis nimium „ laborare."

De Apostolico Symbolo Apostolis vindicando minus hoc loco duco mihi esse laborandum, quod jam dudum perfecta res est a Viris doctissimis, quos inter non dubitaverim illi, nescio quem, historico inficiatori Natalem Alexandrum opponere. Ac si verum dicere volumus, nonnisi nugatoriis argutiis (verbo absit invidia) contra pugnatum est a Viris magni alioquin apud suos nominis.

Sed quod propius ad rem nostram attinet, Boehmerus non solum formulam illam ab temporibus Apostolicis removet, verum totam fidei professionem a baptizandis edendam hoc uno concludere velle videtur, quod in Christum velut

Messiam credere se sincero cordis affectu profiterentur, quin alia ipsis ad credendum certa, definitaque Dogmata proponerentur. Qua in re ut verbis ejus utamur, errat ille potius gravissime. Esto enim, quod minime concedimus, nulla tum adhuc extiterit formula distinctis ordine articulis comprehensa, qualis cernitur in Apostolico Symbolo, extitit certe *sanorum verborum forma* illa, quam ad prædicandam, ac docendum Apostolus commendabat, a qua neminem aberrare liceret.

Atque id quidem multis aliunde argumentis comprobatur. Enim vero ab illa jam ætate cœperunt e cœtu Fidelium contumaces exire homines, quos vitandos Apostoli præcipiebant ut hæreticos. Qua porro de causa hæretici? An quod Christum Messiam negarent? Minime vero: Quippe inter hos nominatim recensentur Hymenæus, & Philetus, qui ut hæretici repelluntur, quod Resurrectionem jam factam esse dicerent. Id ergo Dogma erat ab illis omnino credendum, qui participes esse vellent fidei, communionisve Apostolicæ: Alii memorantur, qui tametsi Christum Messiam colere non detrectarent, arcentur tamen ut impii, quod eum negarent in carne venisse. Quin & Simon ille magus gravissimis verbis notatus a Petro legitur, quod existimaret

Alia præterea credenda fuisse probant Apostolorum Sanctiones adversus suorum temporum hæreticos.

donum Dei pecunia possideri, cui nequissimo errori partem nullam, ac sortem esse in Apostolicæ fidei professione Petrus ipse declaravit apertissime. Adeo multa erant Dogmata, adeo certa eorum complexio, quam quisque aliqua ex parte violare contumaciter attentaret, hoc ipso a Christi fide excidisse censeretur.

Alienum prorsus a rationibus Boehmeri exemplum Eunuchi, de quo in Actis. Mirum, Protestantes id sibi arrogare quod Proselyta ille non audebat sibi sumere.

An vero putabimus Eunuchum illum, de quo *Act.* 8, nil aliud ad Baptismi gratiam de fide Christi præcognitum attulisse, quam ut simplici cordis affectu Christum Messiam esse profiteretur? Atqui repugnat ipsa facti narratio: Accurrit Philippus monente Angelo ad Eunuchum, illumque audivit legentem Isaiam Prophetam, quem cum rogasset: *Putasne intelligis quæ legis?* Ingenuum responsum tulit: *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Quo loco quis non jure miretur effusam plane Novatorum largitatem nemini ex vulgo non illam ultro tribuentium locorum Scripturæ ad salutem pertinentium intelligentiam, quam homo proselyta in Sacris litteris pridem exercitatus sentiebat sibi deesse, quamque, quod plus est, non ei adesse Philippus ipse probe ante perspexerat? Locus erat in quo Propheta futuram Christi occisionem, ejusque simul ineffabilem generationem commemorat. A qua Scriptura incipiens Phi-

lippus evangelizavit illi Jesum. Tum demum cum professus Eunuchus esset toto corde se credere, *Filium Dei esse Jesum Christum*, baptizatus est a Philippo. Quis non intelligit paucis hisce verbis Eunuchum summatim complexum esse, quæcumque dum irent per viam ab evangelizante Philippo acceperat? An putabimus tota illa via, qua Prophetam interpretandum, & Jesum evangelizandum sibi sumserat Philippus, non aliud Eunuchum docuisse, nisi sincero cordis affectu credendum Christum Messiam esse, cætera prætermisse, quæ de Christo credenda scriptæ ipsæ postmodum novi Testamenti paginæ tot locis ediderunt?

Quam ad rem faciunt hæc duo imprimis: I Fides ex
Quod ante omnem Scripturam fides auditu per- auditu.
ciperetur: II Quod qui fide imbuerentur, eam Auditus a legitimo Prædicante.
per viam obedientiæ susciperent. Fides, inquam, primum ex auditu. Unde autem auditus? Utique a prædicante. Quis jam prædicator audiendus? Ii profecto, quibus a Christo dictum est: *Ecce Ego mitto vos*, quibus etiam se omni ævo affuturum prædixit. Audiendi ergo Prædicatores, & Apostoli, qui a Christo missi sunt, & qui vicaria successione mittendi erant ab Apostolis, velut Timotheus, & Titus a Paulo. Hæc prima fuit propagandæ, tuendæque fidei a Chri-

sto instituta ratio, ut successio doctrinæ pari passu, atque doctorum successio procederet, qui nimirum Pastores dati sunt ac Doctores in opus hujusce Ministerii, ad consummationem Sanctorum, usque & dum coagmentatur Corpus ejus, quod est Ecclesia, nec interea sint Schismata; quibus a Sanctissimi Corporis compage divellamur, ac tamquam parvuli fluctuantes circumferamur omni vento doctrinæ.

Successio praedicandæ fidei ratio primitus instituta per sacram deinde Scriptionem minime immutata.

At, inquies, quæ voce prædicaront Apostoli, ea postmodum scripto consignarunt. Utique factum, & quidem præstantissimo divinæ largitatis munere, ac beneficio. Verom & hoc putare debes non ita Scripturam prædicationi substitutam, ut abrogata prima illa promovendæ religionis ratione a Christo instituta, auditus fidei aliquando desineret. Non ita factum. Scripsere Apostoli, ut prædicantes simul & audientes juvarent, non ut ipsi docendi magisterium abdicarent, aut quos docendos acceperant, audiendi onere levarent: Scripsere Apostoli, sed non omnia scriptis suis complexi sunt, quæ ad formam sanorum verborum, atque ad rectam Ecclesiæ gubernationem pertinerent: Quin potius scribendo Ecclesias monuere sæpe, ut quæ voce tradere pergebant, diligentissime retinerent. Scripsere Apostoli, verum eatenus scriptio proficit, quatenus quæ scri-

pta sunt recte intelliguntur. Quis porro poterit adeo de se sentiat, ut putet de summa fidei *intelligere se quae legit*, nisi adsit legitimus interpres, *qui ostendat sibi*? Pudeat Novatorum magistros hanc suis gregalibus sapientiam deferre, quam suis ipsi dissensionibus praeclare ostendunt deesse sibi. Scripsere Apostoli, non ut cuique interpretandi, atque adeo singulis quas fundabant Ecclesiis aliter & aliter de religione statuendi licentiam tribuerent, quippe qui unam illam quam a Christo doctrinam acceperant, in omni Ecclesia constanter praedicabant, constanterque retineri praecipiebant, qua de causa testatur Paullus missum a se ad Corinthios [a] Timotheum, qui eos commonefaceret vias suas, ut quod ille ubique, *in omni Ecclesia docebat*, idipsum & Corinthii sine ulla dissensione servarent.

Itaque quod primum caput est, fides ex auditu: auditus autem ab his, qui ex instituto Christi missi sunt ad docendum. Ex hoc primo capite nexum est alterum, ut qui fidem Christi suscipiant adulti, eam obediendo suscipiant. Ad hoc etenim institutum est Apostolatus Ministerium, ut qui muneris hujus auctoritate, & officio fungerentur, vocarent ad obediendum fidei

Fides per obedientiam suscipienda.

(a) I Ad Cor. IV.

in omnibus gentibus: obedirent autem vocati in eam formam doctrinæ, non quam ipsi sibi finxissent, non de qua transigendo convenissent, sed quam traditam sibi acciperent. Hanc obedientiam laudat Apostolus in Philippensibus [a], hanc in Corinthiis erga Titum [b], quem ad eos miserat. Hanc ab his expetitam, qui Christo nomen dasent, bonus Auctor testatur Justinus Martyr Apol. I, 11, 65: „ Nos autem postquam eum, „ qui fidem suam, & assensum doctrinæ nostræ „ testatus est, sic abluimus, ad eos, qui dicun„ tur Fratres, deducimus, ubi illi congregati „ sunt: communes preces, & pro nobismetipsis, „ & pro eo, qui illuminatus est, & pro aliis „ ubique omnibus intento animo facturi, ut ve„ ritatis cognitionem adepti, hac etiam gratia „ dignemur, ut rectam operibus vitam agentes, „ & præceptorum custodes inveniamur, quo „ salutem æternam assequamur. “ Itaque non abluebatur, nisi qui ante assensum suum doctrinæ præstitisset, non quam sibi suo judicio finxisset, sed quam Fratribus communem, utpote ab initio receptam, & ab Ecclesia traditam exciperet: Communem quippe ac in Ecclesia vigen-

(a) Ad Philipp. cap. II.
(b) II Ad Cor cap. VII, & cap. IX.

tem doctrinam aperte significat Justinus, dum eam *doctrinæ nostræ* nomine appellat. Huic, inquam, doctrinæ assensus præstandus erat, quam nemo suam propriam diceret, sed quam summo obsequio quisque velut ab Ecclesia communiter omnibus præscriptam exciperet „cujus unius cognitione veritarem adepti, ac vere illuminati se fuisse considerent, qua demum una, si modo doctrinæ præceptionibus actio vitæ congrueret, ad æternam salutem consequendam se se compararent.

In Centurione Cornelio agnovere Patres primitias vocationis gentium. Hunc notat Augustinus, *quamvis exaudita orationes ejus, eleemosynasque respectas Angelus nuntiaverit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solum Sacramenta susciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset, audiret*. Nec immerito, quippe ab antiquis diebus electus inter alios Petrus fuerat, *per os ejus audire gentes Verbum Evangelii, & credere*. Quo intelligimus magisterio Petri attributam vocationem gentium fuisse: Atque ut nullum finem habitura erat hæc gentium vocatio, & cooptatio, ita nec unquam finem habiturum magisterium Petri. Nec fefellit eventus, aut consilium ejus fallere poterat, cujus verba non transeunt.

Edoctum a Petro Centurio edocendam a successoribus Petri successionem Gentium præmonstravit.

Quippe omni consequenti ætate nunquam desiit Petri Sedes, vel in ultimas rerrarum oras Apostolicos viros mittere, per quos audirent gentes Verbum Evangelii, & crederent: ut Ecclesia ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione in unam formam doctrinæ collecta, uni capiti cohærens, unam se ac universalem perpetuo demonstraret, in eaque unitare unitas Christi Corporis splendidissime colluceret.

Una forma doctrinæ ab Apostolis universæ Ecclesiæ tradita. Nec adeo in Ecclesia sunt Christi sectæ ab illa dissentientes.

Minime ergo putandum hunc Apostolicis temporibus, atque in primitiva Ecclesia morem obtinuisse, ut ab his qui Christo nomen darent, non aliud expeteretur, quam ut sincero cordis affectu profiterentur se credere Christum Messiam esse, quin & alia Dogmata de Christo, deque ipsius religione universe credenda fidem suam adstringerent. Nimium talis mos ab instituto Christi deflexisset, qui cum salutaris suæ doctrinæ lucem mundo attulisset, voluit eam per omnes gentes, & in ævum omne propagari. Cui mandato parentes Apostoli cum Ecclesias fundarent, instituerentque, id sedulo curarunt, ut in singulis Ecclesiis unanimes omnes in eodem sensu idem sentirent, essetque omnium Ecclesiarom in una forma doctrinæ summa, plenaque obsequii consensio. Ita fiebat, ut ex multis Ecclesiis apta illa omnium inter se in uno capi-

te consociatione, una effloresceret Catholica Ecclesia, ut & unitas multiplicitatem foveret, nec multiplicitas unitati obesset.

Uno verbo doctrina Christi, quæ una est, omni ex parte sibi consentiens, unam doctrinæ formam exposcebat: Una porro forma doctrinæ aptius servari non poterat, quam idoneis formulis, quæ summa doctrinæ capita complecterentur, quarum ope fideles in una Dogmatum professione cohærerent, simulque adversus insurgentes identidem errores, prout opus esset, munirentur.

Hinc etiam perspicuum fit ad hoc fidei depositum, nec adeo ad Ecclesiam Christi pertinere peculiares Ecclesias ab unitate divulsas, quæ peculiaribus formulis apud se, suo cujusque judicio, & arbitrio compositis utentes, non solum a Catholica in fidei professione, sed & aliæ ab aliis dissentiunt. In hisce sane dissidiis nulla est, quæ blandiri adeo sibi possit, ut soli sibi veritatem asserat, aliis omnibus detrahat. Quin potius cum omnibus ex æquo desit præclara illa universalis perpetuitatis nota, quam suæ doctrinæ indicem Christus esse voluit, (quippe nulla est ex talibus Sectis, quæ non definitis, satisque angustis temporum, ac locorum spatiis concludatur) perspicuo id etiam argumento est, nullam

ex his esse, quæ suo ab unitatis Cathedra discessu, amissa illa, quam diximus, universalis perpetuitatis nota, non prodat se simul ipsam fidei veritatem amisisse. Nunc redeamus ad Boehmerum.

Nil etiatum a Nicæna synodo ad præscribenda Fidei formula Hæc fatente Boehmero instar legis a veteribus habita.

§. 3. „ Prima *fidei formularia* hujus generis „ scripta videtur in Concilio Nicæno, vel, ut „ rectius dicam, per modum *Legis* præscripta „ est, imo quod magis est, auctoritas θεοπνεύστας „ ei tributa, ut apparet ex epistola Constantini „ Magni ad Alexandrinam Ecclesiam apud Socratem *l. 1, c. 9*, ubi ait: *Nam quod trecentis* „ *placuit Episcopis, nihil aliud existimandum* „ *est, quam Dei sententia, præsertim cum in* „ *tantorum Virorum mentibus insidens Spiritus Sanctus divinam voluntatem aperuit*. In „ alia ejusdem epistola citato loco generaliter „ hanc definiendi auctoritatem, inde petit, *quod* „ *quidquid in sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id omne ad divinam voluntatem referendum sit*. Ex hoc supposito Patres postmodum formulas fidei per modum *Legis* præscripserunt, adjectis pœnis in eos, qui ab illis „ recedere ausi fuerint, ut Acta Conciliorum „ ab Harduino edita docent. Referam hoc tantum Decretum Concil. Ephes. Act. 6 &c. „

Fidei formula con.

In hac edenda fidei formula eam sibi auctori-

tatem sumpsit Nicæna Synodus, quam in legitimo Œcumenico Concilio universa jam tum agnoscebat Ecclesia: nec enim aliam quam universalem Ecclesiæ sententiam Constantinus Magnus illis suis litteris expressit: ut proinde si in ea sumenda auctoritate a Synodo Nicæna peccatum est, totam fatendum erit jam ab eo tempore Ecclesiam errasse, in eaque erroris labe toto illo tot sæculorum decursu, quibus Concilia celebrata sunt, versatam esse. At profecto nil peccatum in eo, quod Apostolico exemplo factum est a Patribus Nicænis. Prædixerat Apostolus exorituras olim hæreses, futuros vel novissimis temporibus homines perversa loquentes, ut abducerent discipulos post se. Idipsum & quidem universalius a Christo prænuntiatum intelligi potest dum ait: *Necesse est, ut veniant scandala; væ autem homini illi, per quem scandalum venit*. An vero putabimus nil provisum a sapientissimo Legislatore fuisse, quo castum fidei depositum Ecclesiæ suæ creditum, a venenata hæresis labe, futuris illis temporibus purum, integrumque servaretur, nullum subsidium, quo Verbum Dei a verbo mendacii secerni tuto posset? Nullum plane, si Bochmerum; præclarum vero; præsens, ac tutissimum, si Apostolum, si Christum audimus. Nullum, inquam,

dendæ auctoritas penes Ecclesiam Apostolico exemplo comprobata, ad custodiam depositi necessaria.

si Boehmerum, quem, ut postea videbimus, non puduit causarum etiam fidei judicium suo modo ad Laicam potestatem deferre: Præsens vero, ac tutissimum, si Apostolo, si Christo fidem habemus. An non Apostolus nos docuit Ecclesiam colere, & observare velut Columnam, & Firmamentum veritatis? Quomodo vero Ecclesia esset Firmamentum veritatis, nisi tuto ab ea veritas peteretur? Christus Pastores constituit, Doctores ac Præpositos, qui Ecclesiam regerent, ac pascerent, quorum audiendis vocibus Christus ipse audiretur, pro quibus rogavit ille Patrem, ut & pro his qui crediturí essent per verbum eorum in ipsum. Inter illos unum elegit [a], qui omnibus præesset, penes quem confirmandorum Fratrum præcipuum munus esset, summaque auctoritas; ut nullum jam errandi periculum sit ei metuendum, qui se illis regendum, pascendum, confirmandum committat, quibus regendi, pascendi, confirmandi curam, potestatemque Christus demandavit. Quod munus nisi fuisset in Successores perpetua continuatione prorogandum, quomodo Christus ipsis ad consummationem sæculi affuturum se promisisset? Præstanti hac auctoritate sibi divinitus tri-

(a) Johan. cap. XVII, v. 20.

tributa usi sunt Apostoli, cum sæpe alias, tum maxime, cum suborta Antiochiæ gravi controversia de re ad fidem, ad mores, ad disciplinam pertinente magna hinc inde conquisitio fieret. Nullus tum aderat Boehmerus, qui causam ad Magistratum deferendam, aut amicabili compositione transigendam præciperet. Re ad Apostolos delata ex Petri sententia editum est celebre decretum: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*. Quo loco non leve discrimen subeundum videtur Boehmero. Nam cum duo hæc certa sint, decretum istud ab Apostolis, I divina Voluntate, ac Spiritu Sancto afflante, II nulla Imperantis interposita auctoritate latum, ac promulgatum fuisse, aut fateri ei necesse est, Apostolico decreto vim non defuisse legis obligantis: aut impie negare divinæ Potestatis esse, vim legis decreto tribuere, quod divina Voluntate, sine consensu Imperantis feratur. Cujus Decreti forma sic est ab Apostolis proposita, ut non in ea tantum causa valeret, sed & in paribus causis ad fidem, ac religionem pertinentibus deinceps esset in omne tempus valitura.

Sciebant Patres Nicæni Apostolis promissum Spiritum Sanctum, qui doceret eos omnem veritatem, atque ita promissum, ut cum eis maneret in æternum, quo plane intelligebant interi-

tu Apostolorum nec Spiritum Sanctum desiturum, nec veritatem unquam in Ecclesia interituram. Hoc exemplo, hac mente inducti, cum praeeuntibus Legatis Apostolicis in id intenti essent, ut adversus Arianam perfidiam fidei depositum necessario quodam; aptissimoque praesidio munirent, formulam illam scripsere, quam instar sacratissimae legis e Coelo delapsae, apud pios omnes, obnitentibus necquicquam Arianis valuisse, notius est quam ut sit plenius confirmandum.

Immerito reprehensi a Boehmero Patres Ephesini, quod sua Decreta Traditionis auctoritate firmaverint.

Ad ejus formulae commendationem sequenti saeculo gravissimum edidere decretum Patres Ephesini, quod refertur a Boehmero, nec reprehensionem ejus effugere potuit. Sic enim scribit §. IV: „ Quamvis vero in dijudicandis articulis „ fidei sola *Scriptura Sacra* judicem constitue„ re debuissent, id quod nosrates jam dudum „ contra Pontificios in colloquiis urserunt: hac „ tamen via relicta, eadem prorsus olim, post„ quam *fides formularia* condi coepit, methodo „ lubrica usi sunt, in qua praesidium doctrinae „ suae hodie potissimum Pontificii quaerunt." Cujus tamen methodi, non quidem Auctores, sed acerrimos defensores continuo profert Cyrillum Alexandrinum, Capreolum Carthaginensem, ac praesertim Vincentium Lirinensem in Commonitorio: „ Ubi (verba sunt Boehmeri) docet verum

„ a falso discerni optime posse: (I) *auctoritate* „ *divinæ Legis*, (II) *Ecclesiæ Catholicæ traditione*, ut tamen huic primas partes deferat: quia enim hæretici quoque ad Scripturam Sacram provocant, aliter tamen atque aliter eamdem interpretantur, inde in controversiis fidei unice respiciendum esse monet ad *interpretationem Patrum*, adeoque hanc revera judicem controversiarum cum „ Orthodoxis constituit. " Proh pudor! Itane a Boehmero docendi fuerant Nicæni, Ephesinique Patres, quid facere: docendi Cyrillus, Capreolus, Vincentius quid scribere debuissent? At isti ut vetustioribus, ita & melioribus Auctoribus usi sunt. Nec omnino diffitetur Boehmerus §. VI „ Huic, inquit, sententiæ ansam dedisse videntur Irenæus, & Tertullianus, qui adversus hæreticos disputando potissimum ad *auctoritatem* „ *Ecclesiarum Catholicarum* provocarunt, sed „ hoc vel ideo, uti ipsimet profitentur, quia „ cum ejusmodi hæreticis illis res erat, qui verbum scriptum criterium unicum veritatis esse „ negabant, *traditiones* seu *doctrinam non scriptam* ab Apostolis acceptam præ se ferentes. „ Ad hanc itaque retundendam præsidium ab „ *auctoritate Ecclesiarum Apostolicarum*, quæ „ dogmata hæreticorum prorsus ignorarent, su-

„ mendum sibi esse censuerunt, quod facilius
„ adhuc excusari poterat."

Irenæi ac Tertulliani de Traditionis auctoritate Sententia prave a Boehmero detorta.

Vult itaque Boehmerus hac una de causa Irenæum, & Tertullianum ad Ecclesiarum Catholicarum, ac præsertim Apostolicarum auctoritatem provocasse, quod illis res esset cum Hæreticis ejusmodi, qui verbum scriptum negarent unicum esse veritatis criterium. Atqui si hæresis hæc est, hæresis fuit Irenæi, hæresis Tertulliani, quo maxime tempore Catholicus erat, hæresis Patrum vetustiorum Justini, Ignatii, Clementis discipuli, Successorisque Petri. Res quidem illis erat cum hæreticis, non qui tales essent, quod negarent Scripturam unicum esse veritatis criterium; nusquam enim istud est ab illis Patribus reprehensum, sed quod rejiciendis dogmatibus, quæ verbo Dei sive scripto, sive tradito continentur, simul ejus Ecclesiæ auctoritatem spernerent, cui prædicanda veritas est in omne tempus commendata. Agebant cum hæreticis, qui modo Scripturæ, modo Ecclesiæ traditioni adversabantur. Docet propterea Irenæus non apud alios quærendam veritatem, quam oportet omnino ab Ecclesia sumere: *Cum Apostoli quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis: ut omnis quicumque velit, sumat ex ea*

potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus &c. Adeo porro perspicue ille verbum hoc vitæ scriptum a non scripto distinguit, ut gentes memoret, quæ sine litteris puram, castamque una traditionis via fidei doctrinam retinebant. Simul docet hanc tradendæ veritatis ordinationem a Christo constitutam esse, ut per Episcoporum successionem ad nos perveniat: Recurrendum proinde ad Apostolicas Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, maxime vero ad Romanam, cujus recensitis Pontificibus duodecim, qui a Petro ad Eleutherium alii aliis successerant, concludit: „ Hac ordinatione, & successione, ea quæ est „ ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis „ præconizatio pervenit usque ad nos. “ Quibus verbis plane confirmatur præclarum illud cooservatæ veritatis testimonium, quod maximæ, & antiquissimæ huic Ecclesiæ tribuit Irenæus l. 3, c. 3, ad quam propterea necesse sit omnem Ecclesiam, omnes qui undique sunt fideles convenire.

Traditionis vim, & necessitatem pro more semper in Ecclesia servato, antiquiorum auctoritate Irenæus confirmat, Polycarpi nimirum, qui *Vir multo majoris auctoritatis, & fidelior veritatis est testis, quam Valentinus, & Marcion, & reliqui, qui sunt perversæ sententiæ,*

Traditionis locus Polycarpi, & Clementis auctoritate ab Irenæo comprobatus.

Hic docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, quæ Ecclesiæ tradidit, & sola sunt vera. Tum & Clementis, quem ait, vidisse ipsos Apostolos, & contulisse cum eis, cum adhuc insonantem prædicationem Apostolorum, & traditionem ante oculos haberet. Quo etiam Pontifice, cum dissensio non modica inter Corinthios exorta esset, scripsisse ait Romanam Ecclesiam potentissimas litteras, quibus eos ad pacem congregavit, & fidem reparavit.

Tertulliani porro adeo multa sunt, adeo expressa ea de re testimonia, ut nimis longum foret ea singillatim describere. Summa huc redit, in fidei controversiis frustra peti e Scriptura judicium veritatis, nisi accedat Ecclesiæ auctoritas, quæ & veram Scripturæ intelligentiam declaret, & quæ divina sit habenda Scriptura decernat. Qua de causa Marcionem reprehendit, qui Scripturas mutilaret, quæ mutilata loca vere Scripturarum esse nonnisi Ecclesiæ traditione constabat. Quare omnia ille ad Apostolicarum Ecclesiarum auctoritatem revocabat, Romanæ præsertim, de qua insignis est locus, *de præscript. c.* 36: „ Age jam qui voles curiositatem melius „ exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur....

„ Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis „ quoque auctoritas præsto est. Statu felix Ec-„ clesia, cui totam doctrinam Apostoli cum san-„ guine suo profuderunt.... Videamus quid di-„ xerit, quid docuerit, quid cum Africanis quo-„ que Ecclesiis contesserarit. " Veritatem monet Tertullianus in fidei controversiis non ab singulis Episcopis, minus a Presbyteris petendam, verum ab Apostolicis Ecclesiis, ab Romana maxime, cujus auctoritas & ipsi Africæ præsto esset, nec aliud requirendum, quam quod ipsa dixerit, docuerit, ac veluti fidei tesseram tradiderit, in qua nimirum conservatæ, quæ est ab Apostolis traditionis, & Irenæus Tertulliano paullo antiquior, & consequentium deinceps ætatum Patres illustre testimonium dedere.

Quid Martyr Ignatius? De quo testatur Eusebius Hist. Eccles. l. 3, c. 36: „ Hortatum es-„ se, ut Apostolorum traditionibus tenaciter „ inhærerent: quas quidem ad certiorem poste-„ ritatis notitiam testimonio suo confirmatas „ scriptis mandare necessarium duxit." Non ergo verbum, quod jam litteris mandatum esset, sed quod traditione acceptum suis subinde scriptis memoriæ commendandum Patres omni ætate consuevere.

Quid Origenes? Qui *Lib. 5 in Epist. ad Rom.*

„ Ecclesia, inquit, ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis Baptismum dare. “ De quo & Eusebius *l.* 6 *Hist. Eccles. c.* 5: „ In „ primo autem libro expositionum in Evangelium Matthæi, Ecclesiastico insistens Canoni, „ quatuor duntaxat Evangelia testatur esse his „ verbis: *Sicut ex traditione*, inquit, *accepi de* „ *quatuor Evangeliis quæ sola in universa Dei* „ *Ecclesia, quæ sub Cælo est, citra controver-* „ *siam admittuntur.* “ Cui dicto consonat celebre illud Augustini lib. con. *Epist. fundamenti c.* 5: „ Ego vero Evangelio non crederem, nisi „ me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas. “ Nec tacendum quod hoc ipso capite Petro testimonium reddit Eusebius primam ejus epistolam memorans: „ Petrus autem, cui tam- „ quam fundamento superstructa est Ecclesia „ Christi, adversus quam nec ipsæ inferorum „ portæ prævaliturae sunt. “

Horum sententias fideliter exscripsere Cyrillus Alexandrinus, Capreolus Carthaginensis, Vincentius Lirinensis, quos si volet Boehmeros reprehendere, reprehendat necesse est, non Irenæum tantum, & Tertullianum, sed & Polycarpum, Ignatium, Clementem, quin & Apostolum ipsum [a] fratribus denuntiantem subtrahere se ab

(a) II ad Thessal. 3.

omni fratre ambulante inordinate, *& non secundum traditionem, quam acceperunt a Nobis*. Tum 2 ad Timoth. c. 2: „ Quæ audisti a me per „ multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. " Quibus verbis nemo sanus non intelligit non ea tantum quæ scripto, sed & quæ voce Timotheus audisset comprehendi, & commendari.

Sane qui aliter sentiunt, nunquam apud se recogitasse videntur, verbum quod nobis annuntiatur, accipiendum esse non ut verbum hominum, sed, ut quod vere est, Verbum Dei : cui proinde ex nna parte plena fides illa præstanda est, quæ sine ulla hæsitatione loquenti Deo debetur: quæque ex alia parte certa prorsus, atque indubitata esse nequit, nisi certo constet Divinum esse Verbum illud, cui fidem adhibemus. Jam vero cum de aliquo libro, vel de aliqua libri particula quæstio movetur, ut sæpe contigit, num sit inter sacras Scripturas referenda, si compositione, vel humana disceptandi ratione transigenda lis foret, cum nulla sit ejusmodi ratio, in quam error, errorisve suspicio irrepere non valeat, nemo unquam certo, firmo, immoto judicio statuere secum ipse posset divinum esse librum, quem legit, vel audit, neque adeo conscius esse sibi fidem, quam ei præstat Verbo

Dei reapse adhiberi: Eadem hæsitatio recurret, quandocumque, quod sæpius etiam contigit, de recta loci cujuspiam intelligentia quæstio movebitur; quod pulchre Lirinensis cum eo loco, quem profert Boehmerus, cui nihil habuit, quod reponeret, tum & aliis multis, velut c. 2, ubi posteaquam animadvertit quemadmodum Scripturam *aliter Novatianus*, *aliter Photinus*, *aliter Sabellius*, *aliter Donatus exponit*, *aliter Arius*, *Eunomius*, *Macedonius*, *aliter Apollinaris*, *Priscillianus*, *aliter Jovinianus*, *Pelagius*, *Cælestius*, *aliter postremo Nestorius*, concludit: *Iccirco multum necesse est*, *propter tantos tam varii erroris anfractus*, *ut Propheticæ*, *& Apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiastici*, *& Catholici sensus normam dirigatur*.

Ex arcani disciplina Traditionis auctoritas comprobata, cum ratione qua Catechumeni ad fidei Sacramentum instituebantur.

Ex arcani etiam disciplina, quod haud scio an omnes perinde animadverterint, præclarum prodire argumentum videtur, quo traditionis usus cum Evangelicæ prædicationis prima origine conjunctus comprobetur. Vi hujus disciplinæ, quam satis notum est pluribus in Ecclesia sæculis viguisse, fas haud erat secretiora Mysteria, & cum istis potiora conjuncta dogmata in vulgus effari, ne in ludibrium, contemptumque verterentur infidelium. Itaque severe cautum erat, ut voci potius quam scripto commendarentur, idque diu-

Baptismum suscepturi fidem

genter servabatur, quod ab Apostolo præceptum Timotheo fuerat, (II ad Timot. c 2) ut quæ iste a Magistro acceperat, hæc fidelibus hominibus commendaret, qui & idonei essent alios docere. Quin & remoto etiam isto contemptus periculo, mos adhuc sancte retentus fuit, ut Catechumenis, tum demum, cum Baptismum susciperent, Pastorum voce sana, rectaque aperiretur de Mysteriis fidei Scripturarum intelligentia, quam, licet Scripturas antea legissent, vel audivissent, non tamen animo informare, aut proprio sensu licitum erat cuiquam definire. Patet id luculento Augustini testimonio Serm. 132 *De Verbis Evang.* Johan. 6, n. 1, ubi Catechumenos, seu audientes alloquitur his verbis: „ Et forte cum „ Evangelium legeretur, dixistis in cordibus ve„ stris, putamus quid est, quod dicit *Caro mea* „ *vere esca est*, & *sanguis meus vere potus* „ *est*? Quomodo manducatur caro Domini, & „ bibitur sanguis Domini? Putamus quid dicit? „ Quis contra te clausit, ut hoc nescias? Vela„ tum est: sed si volueris, erit revelatum. Ac„ cede ad professionem, & solvisti quæstionem. „ Quod enim dixit Dominus Jesus, jam fideles „ noverunt. Tu autem Catechumenus diceris, „ diceris audiens, & surdus es. Aures enim cor„ poris patentes habes, quia verba, quæ dicta

suam obligabant ad ea proferenda, quæ post Baptismum Ecclesiæ auctoritate sibi traderentur.

262

„ sunt, audis: sed aures cordis adhuc clausas ha-
„ bes, quia quod dictum est non intelligis. «
Quid clarius? Audiebant Catechumeni Scripturas, sed velatum adhuc ipsis erat, & clausum, quod jam fideles noverant. An forte velatum hunc, & clausum Scripturarum sensum aperire sibi proprio suo sensu, & intelligentia poterant? Minime. Expectandum erat quoad usque revelaretur. Revelabatur autem cum ad professionem suscipiendo Baptismate accederent. Ergo Scripturarum intelligentiam, & fidem, quæ verbo Dei debetur, nemo suo proprio sensu informare, ac fingere poterat, sed omnino accipienda erat, ut ab Ecclesia Pastoris voce tradebatur. Tunc enim aperiebatur, quod a Deo revelatum Ecclesia ipsa continuata traditione acceperat.

Quod & ipsi Boehmero fatendum, nisi rerum ipse pugnare velit.

Atque hæc quidem eo fidentius urgemus, quo minus reprehendi possunt a Boehmero, nisi velit sese ipse reprehendere. Profitetur ille aperte „ (a) *fuisse etiam in primitiva Ecclesia quandam arcani disciplinam, a cujus notitia, &*
„ *lectione Catechumeni arcebantur*; scilicet, quod
„ *Christianis peculiares rationes fuerint non*
„ *quævis dogmata majora, & graviora illis*
„ *mox tradendi, qui adhuc lacte alendi erant.* «

(a) Tom. 4, l. 5, tit. 7, §. 80.

Cum ergo Catechumeni Baptismum suscepturi fidem ab Ecclesia peterent, ad eam profectò fidei professionem sese adstringebant, quam simul cum fidei Sacramento tradi sibi ab Ecclesia postulabant. Sic ergo vetusto illo more in omni Ecclesia receptum erat, ut qui ad Baptismum accederent, profitendæ deinceps fidei formulam, non ad proprium quisque sensum componere, sed ut ab Ecclesia tradebatur excipere, constanterque retinere deberet.

Hinc & Baptismo suscipiendo Infantes ipsos merito fideles vocatos probat Augustinus Epist. 98 ad Episcopum Bonifacium n. 10, quia Infans „ sicut credere respondetur, ita etiam fidelis vo„ catur, non rem ipsam mente annuendo, sed „ ipsius rei Sacramentum percipiendo. Cum autem „ homo sapere cœperit, non illud Sacramentum „ repetet, sed intelliget, ejusque veritati conso„ na etiam voluntate coaptabitur. “ Cui veritati? Ei profectò quam ipsum jam credere respondebatur, quam nimirum pro ipso, ipsiusque nomine Sancta Mater Ecclesia spopondisset : „ Of„ feruntur quippe parvuli (*n.* 5.) ad percipien„ dam spiritalem gratiam, non tam ab eis, quo„ rum gestantur manibus (quamvis & ab ipsis, „ si & ipsi boni fideles sunt) quam ab universa „ societate Sanctorum, atque fidelium. “ Hac

Probatur item ex fide quam spondet Ecclesia pro parvulis Baptismum suscepturis.

ergo lege Baptismus parvulis præbebatur, ut cum grandiores facti essent fidem suam ei fidei coaptare deberent, cui pro ipsis respondendo universa eos fidelium societas obligaverat.

Nil ab hoc sacro instituto disjunctius errore isto Protestantium, quo Verbi divini intelligentiam e Scripturis ipsis cuique hauriendam permittunt. Possunt isti quidem patentes habere aures corporis, ut audiant quæ leguntur: cordis vero aures non magis apertas habere possunt ad intelligendum, quam catechumeni, de quibus Augustinus, qui & ipsi & legebant, & audiebant: hoc vero insigni discrimine, quod Catechumeni Apostolica, Catholica disciplina instituti hanc intelligentiam ab Ecclesia sibi tradendam expectabant: isti contra quod uni Ecclesiæ auctoritati Christus commendavit, impia sibi temeritate usurpant.

Est tamen aliquid §. V, in quo nonnullam Boehmero gratiam habere debeamus, quod ingenue fateatur jam saltem ab Nicæno Concilio, morem cum definiendæ veritatis invaluisse, qui omni deinceps consequenti ætate in Ecclesia viguit: „ Hac, inquit, perpetua methodo postea „ Clerus Pontificius usus est contra quosvis dis- „ sentientes, imprimis tempore *reformationis*, „ prout Acta colloquiorum loquuntur."

Hanc porro methodum pergit exponere §. VII in hunc modum: „ Sic itaque post Concilii Ni-„ cæni tempora in controversiis de *doctrina Ec-„ clesiæ sincera*, & *genuina* hunc processum hi, „ qui dominatum gerebant, formarunt. Videli-„ cet (I) supponebant controversias has judicia-„ li, & decisiva sententia dirimendas esse, eam-„ que (II) auctoritatem rei judicatæ apud omnes „ obtinere debere, qui Christianismum profiten-„ tur, inde (III) formulas certas fidei præscri-„ bendas esse, secundum quas Christiani con-„ ceptus suos formarent, adeoque (IV) nemi-„ nem Scripturam Sacram, & media salutis se-„ cundum proprium sensum, sed *decisionem præ-„ scriptam* Cleri dominantis interpretari debere, „ idque (V) sub pœnis subjectis, ut rei judica-„ tæ auctoritas haud deesset. "

Pauca jam hic interponenda. Nemo Christianum profiteri se merito potest, quin doctrinam Christi sequi se profiteatur. Quisquis porro in controversiis de fide, aliis alia sentientibus, proprium sensum sequitur, nunquam fidere sibi potest, in ea parte cui proprio sensu adhæret, doctrinam Christi reperiri: quippe doctrina Christi una est, una ejus forma, in qua quotquot Christi sunt, convenire debent. Sed hæc una Doctrinæ forma toto terrarum Orbe firma con-

sistere nequit, si proprio cujusque judicio committatur. Necesse igitur fuit interpetrandis Scripturis auctoritatem ejusmodi præesse, cui nemo refragari possit. Atqui hæc ipsa est Ecclesiæ auctoritas, quæ cum sit a Deo constituta columna, & firmamentum veritatis nec falli potest, nec fallere. Merito igitur existimatum controversias fidei non alia ratione definiri posse, quam supremo istiusmodi auctoritatis judicio, quæ si desit, nec de vera Christi doctrina cuiquam certo constare possit, nec adeo quisquam confidere queat se vere Christianum, seu verum Christi discipulum esse.

Ab Apostolicis temporibus pœnarum canonicarum sanctio adversus contumaces.

Minime proinde mirum videri debet ab his, quibus est a Christo servandæ doctrinæ, Ecclesiæque regendæ auctoritas demandata, sancitas canonicas pœnas fuisse, quibus peccantium contumacia coerceretur. Nonne Apostoli vitandos hæreticos jussere, atque a Fidelium communione repellendos? Nonne præcipit Paullus fidelibus subtrahere se a fratre inordinate ambulante? Nonne testatur in promptu se habere ulcisci omnem inobedientiam? Nonne formam præscribit accusationis adversus Presbyterum recipiendæ, atque adeo judicii adversus eum exercendi? Hinc ab illa jam ætate constitutas fuisse canonicas pœnas, quibus vel ipsa disciplina sanciretur fidem facinnt

Ca-

Canones, qui dicuntur Apostolici, quos nemini dubium est, quin luculenta præ se ferant vetustioris disciplinæ monumenta. Nec est quod qui Clero divina ordinatione præsunt, quos nempe Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, eis ipsis odiosæ dominationis notam inurat Boehmerus: certe aliud est dominari, aliud cum auctoritate præesse, nisi etiam velit ejus nominis invidiam in Apostolos transferre, qui & ipsi cum auctoritate præerant, & Pastores a se constitutos cum auctoritate præesse jubebant. Sed hic mos est factiosorum, qui cum societatis cujusque statum perturbare moliuntur, confudere incipiunt, ac turbare vocabula rerum, quo facilius incautis illudant.

Boehmeri calumnia, negligi Sacram Scripturam ab Ecclesia Catholica in definiendis fidei controversiis.

Sequitur „ Interim (VI) in ipsis controversiis „ dirimendis non ad Scripturam Sacram, sed ad „ Patrum tradita, & interpretationem esse re- „ currendum, quippe quæ (VII) constituerunt „ *verum & genuinum Ecclesiæ sensum*, præser- „ tim cum *Ecclesiæ* concredita essent Mysteria „ fidei, & ita quoque ab ejus deciso depende- „ reot. “

Nunquam dictum est in dirimendis fidei controversiis non esse ad Sacram Scripturam recurrendum, sed adjungendum verbi traditi auctoritatem, sive ad ea definienda, quæ scripto verbo

expresse non continentur, velut parvulis dandum Baptisma, sive ad statuendam scripti verbi rectam intelligentiam: Hanc porro Ecclesiæ a Christo tributam auctoritatem esse, ut jure suo ea definiret, eique promissum Spiritum Sanctum, ne definiendo unquam erraret.

„ Ecclesiam autem (VIII) potissimum ex Doctoribus, Episcopis, & Patribus æstimandam esse, quippe qui ei præessent, ut *suæ Reipublicæ*, eamque repræsentarent, adeoque plebi, vel singulis hic nullas partes esse, imo (IX) majora hic prævalere, ut, quæ a plerisque', iisque præstantioribus conclusa, & decisa essent, prævalere deberent, & eum in finem (X) controversias hasce ad Concilia, tanquam sacra quædam Comitia, deferendas esse, in quibus soli Episcopi definirent, deciderentque causam fidei, Laici vero ab hac cognitione penitus excluderentur. “

Apostolis, eorumque Successoribus dictum est, *prædicate*, *docete*. Alii ergo sunt a Christo constituti, qui doceant; alii qui doceantur: Episcopi, Apostolo teste, a Spiritu Sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei: Petro speciatim injunctum, ut agnos, & oves pasceret, fratresque confirmaret. Ab his ergo, non a Laicis planum est exercenda esse pascendi, regendi, confirmandi

munera, inter quæ nulla præstantiora, nulla magis necessaria, quam quæ in definiendis causis fidei, disciplinaque constituenda versantur.

Merito itaque semper existimatum est (quod recte vidit Boehmerus, utpote qui hac in causa nullo partium studio teneretur) Episcopos solos in Conciliis jure divino sedere ut Judices, non Laicos, non alios ex Clero, non Presbyteros, ut patet vel ex antiquissimis Conciliorum subscriptionibus; quodque ab Episcopis, probante Pontifice definitum fuisset, inviolate prorsus retinendum.

Agnoscit Boehmerus antiquo more solis Episcopis jus fuisse sedere in Conciliis tanquam judices.

§. IX „ Denique (XI) in causis fidei cogni„ tis, decisisque executionis vinculum accedere „ debuit, quod *brachio sæculari* demandatum „ erat. Hunc in finem confirmatio Imperatorum „ postulabatur, vel ab ipsis vindicabatur, uti „ constat ex Rescripto Imperatorum ad Ephes. „ Syn. Act. 6. "

Postulabatur sæcularis potestatis auxilium non ad firmitatem Decreti, quam ex Ecclesiæ judicio pendere fatentur Imperatores a Boehmero laudati, non ad Fidei obligationem inducendam, sed ad Perturbatorum refrenandam audaciam, quos debiti officii ratio, metusve Canonicæ pœnæ non cohiberet.

„ Hac accedente (principali confirmatione)

„ Dogmata in Conciliis excussa, & determinata publicæ doctrinæ auctoritatem accipiebant, „ & decisa executioni dabantur: Ea deficiente „ robur haud habebant ob deficientem executionem brachii sæcularis. “

Error Boehmeri quod publicæ doctrinæ vis, & auctoritas ab Imperantis confirmatione penderet.

Errat hoc loco Boehmerus, prorsusque ab Christianæ Religionis institutis descicit, siquidem publicæ doctrinæ auctoritatem habet ea doctrina, quam ubivis gentium Christus prædicari jussit, cui nemo sine impietate refragari valeat, quam corde tenere, & ore confiteri quisque teneatur. Hanc jussu Christi prædicarunt Apostoli, hanc publice, ac per domos docebant: huic debitam ab omnibus obedientiam denuntiabant, nulla tum accedente sæcularis potestatis confirmatione, quin potius ea ipsa potestate totis viribus obsistente. Hinc nullam unquam partem in causis fidei sæculari potestati a Patribus tributam, ultro fatetur Boehmerus §. X: „ Ceterum ut Imperatores in causis *fidei* judicare, „ seu decidere possent, nulla plane ratione ad„ mittere voluerunt, quin eos, ut incompeten„ tes Judices rejecerunt. “ Quod ipsum illustri facto dictoque Ambrosii comprobat, cui consentanea tot alia suppetunt ex omni antiquitate collecta exempla, ut quis Ecclesiæ sensus constans, ac perpetuus ea de re fuerit, latere neminem valeat.

§. XI. „ Ita, pergit Boehmerus, Imperatores necessum habuerunt, *ex ore*, & *sensu* Episcoporum dependere, judicata eorum exequi, „ quo ipso tamen sæpissime in difficillimam conjecti sunt sortem, anxie hæsitantes, cujus potius doctrinam, & decisa sequerentur. “

Nulla hic piis Imperantibus hæsitandi causa, quibus non poterat non esse perspicuum, quod nec Ethnico Imperatori Aureliano fuerat penitus ignotum. „ Nam posteaquam, ut scribit Eusebius l. 7 *Hist. Eccles.* c. 30, Paulus (Samosatenus) a recta fide simul & Episcopatu excidisset, Domnusque administrationem Antiochensis Ecclesiæ suscepisset, cum Paulus a domo Ecclesiæ nullatenus excedere vellet, interpellatus Imperator Aurelianus rectissime hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ Religionis Antistites, & Romanus Episcopus scriberent. “ Quis ambigendi locus, cum exploratissima Patrum prædicatione, nil tam notum, ac pervagatum esset, quam in una Petri sede vinculum unitatis a Christo fuisse constitutum? Hanc potiori principatu pollere, ad quam proinde necesse sit omnem Ecclesiam, omnes qui undique sunt fideles convenire; ut ait Irenæus: E qua Sacerdotalis unitas exorta est, nec ad eam per-

Nulla piis Imperantibus hæsitandi causa circa doctrinam ab Ecclesia propositam Præclara in hanc rem Valentiniani sententia.

fidia possit habere accessum, ut Cyprianus [a]: In qua una unitas ab omnibus servaretur, ut Optatus [b]: E qua velut e capite venerandæ Communionis jura dimanant, ut Ambrosius [c]: Quid plura? Cum & ipsi Imperatores communi hoc fidelium sensu inducti supremam in Romano Pontifice de causis fidei judicandi potestatem agnoverint, ut constat ex epistola Valentiniani ad Theodosium, cujus verba hæc refert Boehmerus §. XII: „ Quam (fidem) nos a nostris majoribus traditam debemus cum omni competenti „ devotione defendere, & dignitatem propriæ „ venerationis Beato Petro Apostolo intemeratam, & in nostris temporibus conservare: „ quatenus Beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes „ antiquitas contulit, locum habeat, & facultatem de *fide*, & Sacerdotibus *judicare*, Domine Sanctissime, & Venerabilis Imperator. Hujus enim rei secundum solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus eum „ per libellos appellavit propter contentionem, „ quæ orta est de fide. " Christianis hisce do-

(a) Epist. 40, & 55.
(b) Lib. II contra Parmen.
(c) Epist. II, clas. I.

cumentis imbuto Principi, qui sibi arbitrium fidel nullum sumeret, nulla quoque in quovis dissentientium Antistitum conflictu, hæsitandi ratio subesse poterat, quin ea sequenda pars esset, quæ cum Capite consentiret, suoque ipso cum centro unitatis nexu, sese in unitate esse ostenderet.

Sed & paucis discutiendum quod latet captiosæ ambiguitatis in hac voce *legis publicæ*, cujus nominis errore decepti nonnulli eo provecti sunt, ut putarent, cum agitur de constituenda disciplina, Ecclesiæ constitutiones vim publicæ legis obtinere non posse, nisi Imperantium auctoritate muniantur. Qui rogandi sunt, quam demum intelligant legem publicam? Nam si publicam legem fatentur esse, quæ a publica potestate feratur, quæ publicam societatem afficiat, quæ vim obligandi secum inferat, ut sine conscientiæ labe violari nequeat, hæc omnia sane aptissime cadunt in mandata, præceptave Ecclesiæ. Nec enim qui catholice sentiat negare potest, quin publica sit Ecclesiæ societas, publica ejus regendæ auctoritas penes eos, qui eam regere positi sunt a Deo: cujus proinde mandata, veluti colendi jejunii, Confessionis annuæ, aut Paschalis Communionis peragendæ servare, quoad possunt, omnino teneantur, illi etiam qui de-

Vis, & ratio Legis publicæ per inanem ambiguitatem Ecclesiasticis Constitutionibus perperam denegata.

gunt inter infideles; quod obligationis vinculum ultro etiam agnoscunt Principes, Magistratusve Catholici, quorum nemo est, qui non se velut gravis culpæ reum argueret, si cui contingeret sacratis hisce mandatis nulla justa causa, nullave petita venia deesse.

Quod si rei, quæ *publica* vocetur, latius patentem significationem hac adjecta conditione coercere, ac velut de genere in speciem contrahere volunt, ut cum de lege agitur, ea tantum *publica* lex intelligatur, quam ferat potestas politica, quæque Magistratui civili jus præbeat cognitionis, & animadversionis in reos, quatenus qui committat in Ecclesiæ legem, quam Imperans probaverit, non tantum peccare in Deum, & Ecclesiam, sed & Imperii Majestatem offendere censeatur, quæstio jam erit de nomine, qua remota, hoc unum saltem plane constabit adjectam Sanctionem Imperantis valere quidem ad executionis firmitatem asserendam, non ad incipiendam obligationem conscientiæ: qua posita obligatione nihil jam causæ est, cur non *lex publica* sui generis proprie dicatur, quæ publicam fidelium societatem adstringat, nec sine scelere violari possit, tametsi delinquens propter deficientem Imperantis sanctionem obnoxius non sit animadversioni Magistratus politici. Hæc itaque

Imperantis sanctio non ad id necessaria est, ut fideles parendi obligatione teneantur, sed hoc præstat, ut quæ ante *lex publica* erat tantummodo Ecclesiæ, jam incipiat *lex* etiam *publica* esse Reipublicæ. Ceterum quod in rebus sacris, divinis, religiosis, ad *legis publicæ* rationem necessaria non sit sanctio Imperantis, vel ex eo fit manifestum, quod secus *publicæ* dici non possent leges ipsæ naturales, ac divinæ, nisi Deo jubenti suffragaretur Imperantium auctoritas, quod sine impietate cogitari non potest. Præterquam quod primis Ecclesiæ sæculis Canonica Decreta penes Ecclesias omnes invaluere sine ulla Imperiali sanctione, nec propterea dubitatum est unquam, quin perfectam eis obedientiam fideles præstare tenerentur. Inerat ergo plane, ac perfecte istiusmodi Decretis, quod maxime proprium est legis, scilicet quod perfectam inducat obligationem parendi. Morosior sit proinde omnino necesse est, ac plane iniquior, qui legis nomen eis constitutionibus invideat, quæ legis vim potissimam complectuntur, ac præ se ferunt.

Uno verbo quisquis contendit Ecclesiam potestatem non habere disciplinæ jure suo constituendæ, adeoque Decreta Ecclesiæ de rebus ad disciplinam pertinentibus leges *proprie* non esse, quamusque accesserit sanctio Principis, quæri ex eo

potest, num legis nomen tollere dumtaxat velit, an etiam vim obligandi, seu *ligandæ conscientiæ*, qui potissimus est effectus legis? Et quidem si constitutionibus Ecclesiasticis per se se spectatis vim hanc legis, quæ parendi necessitatem *jure conscientiæ* inducit, penitus abrogaro intendit, eum omnino necesse est in hos errorum scopulos impingere. I Decretum Apostolicum in Hierosolymitana Synodo latum (Act. 15) de *Suffocato*, & *Sanguine*, (qua nimirum parte ad disciplinam spectabat) nullam per se se parendi obligationem inducere potuisse, proindeque perperam egisse Apostolos, imo & ipsum Spiritum Sanctum, quo auctore illud est editum Decretum, cum edicere non dubitarunt sibi visum esse id oneris imponere, cujus imponendi, nulla per se ipsi potestate pollerent. II Quotquot ab Apostolicis temporibus ad Constantinum usque a Pontificibus, & Synodis edita sunt Disciplinæ Decreta, quandoquidem civili sanctione carerent, omni quoque vi obligandi caruisse: totamque ab initio errasse Ecclesiam, quæ moderandæ disciplinæ potestatem velut munus a Christo sibi demandatum, nulla omnino a Magistratu civili petita venia constanter exercuit. III In eodem errore omni consequenti ætate universam Ecclesiam jacuisse, quæ potestatis ejusdem, ac mu-

neris officium sus sibi Decretis asseruit, perpetuoque usu corroboravit. IV Ubicumque terrarum Principes imperant infideles, atque a Christianis institutis abhorrentes, nullis Ecclesiasticis mandatis, ac præceptis fideles ipsos adstringi, nullamque in hujusmodi regionibus Ecclesiastici Regiminis vim formamque posse consistere. Hic porro velim colligant se se paullisper novi Opinatores isti, sesequo ad Apostolicum supra memoratum decretum referant: profectò nisi eo usque desipiant, ut, quod vel cogitatu nefas, dicere non perhorrescant, Spiritum veritatis aut errasse ipsum, aut ductu suo Apostolos, Ecclesiamque totam errare docuisse, fateantur oportet optimo jure potuisse Apostolos fidelibus inter gentes degentibus illud oneris imponere, quod revera Decreto suo imposuere, ut a Sanguine, & Suffocato abstinerent: hancque adeo potestatem a Christo Ecclesiæ collatam esse, qua vitæ, ac morum disciplinam constituat, cui Christiani omnes, nec ipsis Imperantibus exceptis subjicere se teneantur. Quod si non audes Christiane quisquis es, inficiari, quin ejusmodi Ecclesiæ mandatis parere tenearis, prout expressis Canonibus velut Dogma Fidei a Tridentina est Œcumenica Synodo definitum (Sess. 7, Can. 8, Sess. 13, Can. 9, Sess. 14, Can. 8 &c.) inepte

profecto, nimiumque pueriliter agis, dum mandatis ejusmodi, ac Decretis, quibus obligandæ Christianæ Communitatis, atque adeo potissimam vim legis tribuere cogeris, legis nomen, atque appellationem, quasi de Verbo ageretur, perperam, ac pugnaciter negare persistis.

Fatetur Boehmerus jam ab illa prisca ætate Romanos Pontifices in causis fidei summam auctoritatem exercuisse.

§. XII. Progreditur Boehmerus a Conciliis ad Pontifices. „ Cum vero, inquit, Pontifex Romanus principatum inter omnes Episcopos sibi assereret, arbitrium *in causis fidei* singulari quodam jure sibi vindicavit, imo & Imperatores ejus causæ faverunt, & jus ejus decidendi causas fidei defenderunt. " Quam in rem epistolam profere superius allatam Valentiniani ad Theodosium, additque: „ Theodosio mortuo, tandem Leo impetravit Concilium Chalcedonense, cui non tantum præsedit, sed principatum mirifice *in causis fidei* exercuit, utpote qui in Conciliis inposterum primam tulit sententiam. Petrus de Marca *De Con. Sacer. & Imp.* l. 7, c. 10, §. 2. "

Subinde §. XIII. „ Imo in tantum excrevit Pontificis Romani Potestas, ut, neglectis sæpe Conciliis, in causis fidei solus judicaret, & supremum in iis se arbitrum constitueret, infallibilitatem quamdam affectans, ut ut hæc ab omnibus non æque agnita, & plenius

„ conculcata sit ab Elia Dupin, & Launojo. "

Jam ergo candide fatetur Boehmerus ab ea ætate, qua & Cælestinus, & Leo Sedi Apostolicæ præerant, Pontifices Romanos id juris exercuisse, ut non solum Conciliis præsiderent, ac mirificum in causis fidei principatum tenerent, sed & ipsi etiam sine Conciliis judicium ferrent, quod ratum, fixum, stabile haberi vellent: cujus quidem Apostolici judicii immotæ firmitati, cum non adhuc existerent, qui a Boehmero laudari meruere, Dupinii, ac Launoii, nemo tum refragabatur, nec erat qui Petri dicta Successorum ore loquentis, non ea qua par est, veneratione prosequeretur.

Quidni vero Petri Successores id juris sibi sumerent, quod a Christo profectum in Romano Pontifice vetustissimi Patres, ipsæque Synodi Generales, cum primum congregari cœpere, unanimi consensu agnoverunt? Nam & primæ Nicænæ Synodo generali Pontificios Legatos præfuisse compertum est. Secundæ generalis Constantinopolitanæ primæ Patres epistola ad Damasum, quam refert Theodoretus, *Hist. Eccles.* l. 5, c. 9, testantur juxta ipsius litteras Constantinopolim convenisse, nilque magis in votis habuisse, quam a Damaso vocati, ad Synodum Romanam tanquam membra propria convolarent.

Auctoritatis hujusce testimonium ex Actis Damasi apud Theodoretum.

Quis, inquiunt, *dat nobis pennas sicut columbæ, ut volemus, & requiescamus apud vos?*

Quin idem Theodoretus omni Dupinio, omni Launojo longe sane præstantior, posteaquam novam Apollinaris hæresim memoravit, hæc de illius damnatione subjicit: „ Quin etiam laudatissimus Damasus, cum hanc hæresim exortam esse didicisset, non Apollinarem modo, „ verum etiam Timotheum ejus discipulum deposuit, & ab Ecclesiæ communione alienos „ pronuntiavit; Idque Orientalibus Episcopis per „ litteras significavit, quas huic operi inserere „ operæ pretium duxi. “ Nemo profecto tum temporis dubitabat eam vim esse Primatus Apostolici, ut Ecclesiasticæ Communionis expertes ubicumque haberentur, quos a sua communione Sedes Apostolica repulisset.

Hoc porro initium litterarum Damasi ad Orientales Episcopos: „ Quod debitam Apostolicæ „ Sedi reverentiam exhibet charitas vestra, in „ eo vobis ipsis plurimum præstatis, Filii carissimi. “ Filios carissimos Damasus appellat Episcopos Orientales: nec ejus nominis honorem, quem Dupinii, Launoiive superbius despexissent, dedignati sunt Orientis Antistites, qui contra probe noscent plurimum sibi honoris, ac præsidii præstari debita sua reverentia erga Sedem ejus,

e quo Apostolatus, & Episcopatus in Christo cœpit exordium: Sequitur. „ Etsi enim in sancta „ Ecclesia, in qua sanctus Apostolus sedens do„ cuit, decet nos præcipue quodammodo clavum „ tenere, quem regendum suscepimus, tamen „ hoc honore inferiores nos esse, profitemur... „ Scitote igitur, quod profanum olim Timotheum „ Apollinaris hæretici discipulum una cum im„ pio ejus dogmate damnavimus.... Quid igi„ tur depositionem Timothei (nota) a me de„ nuo postulatis? Qui & hic judicio Sedis Apo„ stolicæ, præsente etiam Petro Alexandrinorum „ urbis Episcopo, depositus est una cum Magi„ stro ipsius Apollinare. " An hæc verba sunt Pontificis de judicii sui firmitate dubitantis? Nemo tamen inter Orthodoxos repertus, qui refragaretur. Merito proinde hac eadem epistola Pontifex Episcopos Orientales admonebat, ne paterentur posthac, ut Clerici eorum ac Laici sermonum vanitates, & quæstiones abolitas auscultarent.

Quid Cyrillus Alexandrinus? Qui Nestorii Constantinopolitani impia sua dogmata non efferentis modo, sed & pugnacissime propugnantis communionem deserere, aut quicquam de illo statuere ausus non est, nisi ante auctoritatem sibi a Romano Pontifice quæsivisset. „ Non prius

Ex Cyrillo, Cælestino, & Patribus ephesinis.

„ autem (sic ille Cælestinum alloquitur [a]) illius „ communionem palam, aperteque deserimus, „ quam hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias præscribere, „ quo liquido nobis constet communicare ne nos „ cum illo oporteat, an vero libere eidem denuntiare, neminem cum eo communicare, qui „ ejusmodi erroneam doctrinam fovet, ac prædicat. Porro tuæ integritatis mens, & super „ hac re sententia piissimis, Deoque devotissimis Macedoniæ Episcopis, nec non totius Orientis Antistitibus perspicue per litteras exponi debet."

Quid Cælestinus admirabili sua responsione ad Cyrillum? quam operæ pretium foret totam hoc loco describere. „ Hunc (Nestorium) Nos „ igitur ab ovilibus arcere oportet, nisi, ut optamus, ad bonam frugem se se receperit.... „ Quod si in pertinacia sua perstiterit, aperta „ mox condemnationis sententia in illum feretur.... Quid enim cum iis agat, qui inter „ se consentiunt, qui se solum quæ optima „ sunt, sapere arbitratus, a nostra fide dissentit? Universi proinde quos ille tanquam sibi „ obsistentes, a communione, ut putavit, se„ movit,

(a) Ap. Labb. tom. 3, edit. Venet. col. 350.

„ movit, in nostra societate se permanere in-
„ telligant, ac sciat se ipsum communionem
„ posthac habere non posse, si doctrinæ Aposto-
„ licæ adversatus, perversam hanc viam con-
„ tumaciter urgere perrexerit. Quamobrem No-
„ stræ Sedis auctoritate adscita, Nostraque vice,
„ ac loco cum potestate usus, ejusmodi non abs-
„ que exquisita severitate sententiam exequeris.“
Tum concludit: „ Eadem hæc ad Sanctos quoque
„ Fratres, & Coepiscopos Nostros Johannem, Ru-
„ fum, Juvenalem, & Flavianum perscripsimus,
„ quo nostra, imo vero divina Christi Domini
„ nostri sententia pluribus de eo sit manifesta.“
Adeo pollebat Apostolicæ Sedis auctoritas, ut ejus
sententia, veluti Christi Domini nostri senten-
tia haberetur, omnesque intelligerent, quos ubi-
cunque gentium Romanus Pontifex communioni
restituisset, omnium Ecclesiarum communione
frui oportere, contra communionis omnis exper-
tes, quos a communione sua repulisset: Quo &
intelligitur quam merito dictum sit ab Ambro-
sio, ab ea Sede venerandæ communionis jura in
omnes dimanare: quam merito ab Augustino,
Cæcilianum conspirantium adversus se Antistitum
multitudinem despicere potuisse, dum Sedis A-
postolicæ communione niteretur.

Quid Patres Ephesini? Qui ut Canonibus, sic

& Cælestini litteris, quem *Patrem* appellare non verentur, obstrictos se declarant ad ferendam in Nestoriam sententiam.

Ex Flavio Constantinopolitano constante solis litteris Leonis, absque Concilio, Eutychis hæresim perimi potuisse.

Quid Flavianus Constantinopolitanus? Qui ad Leonem referens quæ gesta jam erant in causa Eutychis, non solum confirmari ea petit a Pontifice, sed & ostendit solis ejus litteris exortam hæresim perimi, totamque causam absque Concilio finiri posse. „ Causa enim, inquit, eget „ solummodo vestro solatio, atque defensione, „ qua debeatis consensu proprio ad tranquillita„ tem, & pacem cuncta perducere. Sic enim „ hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter „ eam factæ sunt, facillime destruentur per ve„ stras sacratissimas litteras. Removebitur autem „ & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus „ nequaquam ubique sanctissimæ turbentur Ec„ clesiæ. “

Ex Augustino adversus Julianum: tum ex Innocentii rescripto ad Patres Concilii Melevitani.

Duo adhuc lubet proferre præclara documenta ex innumeris, quæ antiquitas suppeditat, unum ad fidem, alterum pertinens ad disciplinam. Quantum in causis fidei excellenti Romanæ Sedis præstantiæ tribueret Augustinus, cum ex aliis locis multis intelligi potest, velut ex verbis, quibus Julianum coarguit l. 2 *Oper. Imperf. contra Julianum* 103: „ Quid adhuc quæris examen, quod „ jam factum est apud Apostolicam Sedem? “

Quæ verba auctoritatis cumulum præ se ferunt, qua accedente nil sit jam amplius expetendum: tum ex epist. 186, alias 106, n. 28, ubi obstinatam Pelagianorum pervicaciam in perversa sententiæ Evangelicæ interpretatione, hoc potissimum ex capite revincit, quod eam tueri persisterent *contra Apostolicæ Sedis auctoritatem, ubi de hac ipsa re cum ageretur, hoc testimonium adhibitum est Evangelicum, ne parvuli non baptizati vitam posse habere crederentur*. Appellat scilicet Innocentii I epistolam (182 inter Augustini epistolas) qua Concilii Milevitani acta contra Pelagianos comprobantur, qua in epistola sic ejus Concilii Patres Innocentius alloquitur *n.* 2. ,, Diligenter ergo, & congrue Apostolici consulitis ,, honoris arcana (honoris, inquam, illius, quem ,, præter illa quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum) super anxiis rebus, ,, quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab ,, Orbe mecum nostis esse servatam. Verum hæc ,, missa facio, neque enim hoc vestram credo ,, latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, nisi scientes quod per omnes Provincias de Apostolico fonte petentibus responsa ,, semper emanent? Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Fratres, &

„ Coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, idest
„ sui nominis, & honoris auctorem referre de-
„ bere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod
„ per totum Mundum possit omnibus Ecclesiis
„ in commune prodesse. " Hoc ipsum non mi-
nus expresse tradit Innocentius epistola superio-
re 181 ad Aurelium, ceterosque Carthagiensis
Concilii Patres, n. 1: „ In requirendo de his
„ rebus, quas omni cum sollicitudine decet a
„ Sacerdotibus, maximeque a vero, justoque,
„ & Catholico tractari Concilio, antiquae tradi-
„ tionis exempla servantes, & Ecclesiasticae me-
„ mores disciplinae, nostrae Religionis vigorem
„ non minus nunc in consulendo, quam antea
„ cum pronunciaretis, vera ratione firmastis,
„ qui ad nostrum referendum approbastis esse ju-
„ dicium, scientes quid Apostolicae Sedi, cum
„ omnes hoc loco positi ipsum sequi desidere-
„ mus Apostolum, debeatur, a quo ipse Episco-
„ patus, & tota auctoritas nominis hujus emer-
„ sit. " Atqui haec Patres Africani audiunt, le-
gunt, nec solum non refragantur, uti refragari
debuissent, nisi revera in his *antiquae Traditio-
nis exempla*, *antiquae regulae*, quam Pontifex
praedicabat, *formam* agnovissent, sed potius quam
pleno veneratioois obsequio, hanc ipsam, quam
dari sibi supplices petierant, Apostolicae Sedis

auctoritatem susceperint, liquido constat vel hoc uno, quod Augustinus, qui Africanorum Conciliorum adversus Pelagianam hæresim pars certe magna fuerat, per Apostolica ea rescripta causam plane finitam, frequenti concione, Populo suo tum demum nunciare, gratularique non dubitaverit (Serm. 131 *De verbis Evang.* Joban. c. 10, tom. 5, par. 1, edit. Maur.). Quo sane patet, quam præclare veteres illi de Apostolicæ Sedis auctoritate sentirent, ut minime mirum sit vehementer ea de causa Augustinum Pelagianos errores coarguisse, quod post allatum Innocentii documentum cedere Romanæ Sedi renuerent, quam unam per antonomasticam appellationem Apostolicæ Sedis nomine designat.

Ex Decreto Capuanæ Synodi in causa Antiochena.

In causa porro dissensionis Antiochenæ inter Flavianum, & Evagrium [a] (ut ad rem veniamus, quæ propius disciplinam attingit) Capuanæ Synodi Patres, quos inter Ambrosius eminebat, rei totius cognitionem Theophilo Alexandrino demandarunt, hac tamen lege, quemadmodum perspicuum fit ex Ambrosii epistola, ut rententiam a se prolatam Romanæ Ecclesiæ auctoritate confirmandam, & comprobandam offerret. Sic nimirum veteri more, ac primigenia tradi-

(a) Apud Labb. edit. Venet. tom. 2, col. 1137.

tione invaluerat, ut difficiliores majorum etiam Sedium causæ, præsertim cum de legitima Antistitum institutione ageretur, ad Romanum Pontificem deferrentur, nec nisi accedente supremo ejus judicio definirentur.

Auctoritas istæc Romani Pontificis, fatente Boehmero ad Lutherum usque.

Viguit hæc non diffitente Boehmero Pontificis Romani auctoritas ad Lutherum usque, quo tempore inquit ille §. XIV: „ Infractæ sunt paulatim vires Pontificis, ejusque Sodalium per „ reformationem. Equidem ipsemet haud dubita„ vit, theses a Luthero propositas damnare, „ eumque anno 1520 fulmini excommunicationis „ subjicere, quod, ut scribit Hadrianus die 22 „ Novemb. 1522, causa Lutheri manifesto mala „ esset, & ita ex *notorietate* condemnari debe„ ret pro more Aulæ Romanæ. "

Quanta maturitate Leo X ad Lutheri damnationem devenerit. Germanicarum de illo Universitatum præjudicia: Aliarum subsecuta judicia, Parisiensis præsertim.

Quamvis adeo nefarii, adeo manifesti essent errores Lutheri, ut Christianis documentis imbutæ aures non possent non eos horrere, tamen ex ipsa Bulla, *Exurge Domine*, qua notati sunt a Leone X, liquido constat, quanta maturitate, quanta adhibita circumspectione ad eorum damnationem Pontifex devenerit. Damnati jam fuerant proximo anno ab *Universitatibus Coloniensi*, & *Lovaniensi*, quas cum laude Pontifex commemorat, *utpote Agri Dominici piissimas, religiosissimasque Cultrices*. Ut non tantum *notorietate*,

sed & gravissimo judicio perculsa jam videri posset causa Lutheri. Accessit anno 1521 Facultas Parisiensis, cujus judicium Lutherus expetierat, ut *Studiorum parentis*, *ab antiquo semper Christianissimæ*, *ac in Theologia florentissimæ Universitatis*. A qua cum meritam damnationem retulisset, continuo Philippus Melanchthon Magistri sui defensionem edidit, eleganti hoc, modestoque titulo: *Apologia pro Luthero adversus furiosum Parisiensium Theologastrorum Decretum.* Cujus opusculi pauca hæc verba a Natali Alexandro descripta recitabimus: „ Liber est, qualem „ Lutetiæ scribi posse nemo facile crederet, si„ quidem ita vulgo persuasum est, in ea Scho„ la, velut in arce quadam, regnare Chri„ stianas litteras. Neque negari potest, inde „ prodiisse olim gravissimos homines, adeoque „ proximo sæculo Gersonem illum plenum, ut „ apparet, Christiani spiritus." Quo loco notanda hominum istorum levitas, & inconstantia. Si plenus Christiani spiritus Gerso visus est Melanchthoni, ad Christianum Spiritum referre iste debuit, quod ille Tract. *De Stat. Eccl.* Consid. 1, *Schismaticum*, & *hæreticum* appellare non dubitaverit *eum*, *qui negaret statum Papalem institutum esse a Deo supernaturaliter*, & *immediate tamquam habentem Primatum Monarchi-*

cum, & Regalem in Ecclesiastica Hierarchia. Et lib. *de Auferib.* Consid. V, qui sentiunt „ quod quilibet Episcopus in sua Dioecesi est Papa, „ pa, vel Pastor Supremus æqualis Papæ Romano errant in fide, & unitate Ecclesiæ contra articulum hunc, *Et unam Sanctam Ecclesiam*; & si pertinaces maneant, judicandi „ sunt hæretici, sicut Marsilius de Padua, & „ quidam alii." Quæ si ab homine pleno Christiani spiritus profecta sunt, quo spiritu inductus videri Melanchthoni debuit Lutherus, cui nil tam odiosum, quam nomen Papæ, qui nil non molitus, quo Papæ Primatum profligaret? Quo spiritu inducti etiamnum videri debent, qui singulis Episcopis, suis maxime in Dioecesibus plenam, & Papæ auctoritati æqualem auctoritatem tribuunt?

Porro litteræ Hadriani VI [a] ad Fridericum Ducem Saxoniæ an. 1522 calumniam aperte refellunt Boehmeri. Quippe in his gravi, copiosaque oratione Pontifex impios Lutheri errores, malasque artes exponit, detrimenta per eum invecta, inflicta Ecclesiæ vulnera deplorat, quo Virum Principem ab nefarii hominis consuetudine abduceret: tantum abest, quod significave-

(a) Apud Labb. tom. 19, edit. Venet. col. 1041.

rit dogmata Lutheri incognita causa damnata fuisse.

Jam redeundum ad calumnias Boehmeri, quas pergit eo loci alias ex aliis nectere. „ Impia tunc „ vulgo circumferebatur sententie Auctoribus „ Wimpina, Eccio, Hocstratio, aliisque Papam „ pro arbitrio suo Scripturam interpreteri posse. V. Maimburg. Ipse Cajetanus Luthero persuadere voluit, mendeces quoque theses admitti debere, modo faciant ad quæstum, & capsam implendam; Pontificis auctoritetem esse „ tantam, ut vel solo nutu ebrogare possit etiam quæ sunt *fidei*. " Non pudet te, Boehmere, ineptiarum istarum, fabellarumque plane anilium! Quis credat Cajetanum virum imprimis doctum, ac pium ea cum Luthero locutum, quæ si Romæ dixisset, damnationem effugere non potuisset? Quis credat a Romano quovis Theologo dictum unquam fuisse, Pepæ fas esse solo nutu, quæ sunt fidei abrogere, aut Sacram Scripturam pro lubitu in quamcumque partem nulla certa ratione interpretari? Cum & illi qui Apostolici judicii immotam de rebus fidei firmitatem studiosissime, ut par est, defendunt, hanc ipsam ex promisso Spiritu veritetis repetant, cujus ope fit, ut in deficiendis fidei causis immunis ab errore servetur, cui præcipue creditum

Aniles Protestantium fabellæ a Boehmero repetitæ.

est fidei depositum. Sed & hanc alteram gratiam habere Boehmero debemus, quod testimonii sui fidem fraudibus adjecerit, quibus illi primi Sectæ suæ Patroni Populos circumvenire, odioque in legitimos Pastores impudentibus calumniis concitato, avitæ doctrinæ sensum in fidelium mentibus extinguere, eosque profanis quas inducebant novitatibus paullatim assuefacere studuerunt.

Inania Protestantium Concilia de componendis fidei controversiis. Ex Boehmero falso putarunt ab initio eas per Concilium decidi posse.

„ Cogitatum hinc de componendis, *&* *decidendis controversiis fidei*, quas juxta antiquissimum morem per Concilium universale decidi posse credebant. §. XV: Ipse Lutherus cum res in apertam erumperet flammam ad *Concilium universale provocavit.* " Commoda satis ratione, qua nectendis moris errores interea suos fovere ille, tutari, ac propagare impune valeret. Nec enim præsto aderat Concilium, nec ubi adfuisset, deesse calumniæ poterant, quibus vim ejus omnem, atque auctoritatem eluderent. Qua in re Lutheri partibus superstites ejus Asseclæ abunde satisfecere.

Incertum hic, & vacillans reformationis progressum humani consilii, non supernæ illustrationis indicium.

„ Constat etiam Confessioni Augustanæ addictos ad *liberum universale Concilium* provocasse, & res fidei controversas per hoc decidi posse existimasse. " Utique semper in Ecclesia creditum est per universale Concilium legitimum fidei controversias definiri posse, fuisse-

que hunc morem Ecclesiæ antiquissimum agnoscit ipsemet Boehmerus. Perperam id vero, si eum audimus, ut & ex hoc loco, & ex aliis inferius proferendis aperte constat. Hoc ergo adhoc errore juxta Boehmerum implicati renebantur Lutheros, primique illius Asseclæ, cum universalis Concilii judicio causam fidei finiri posse putabant. Nondum igitur spiritu veritatis illustrati erant, quo primum gradu ab Ecclesia discessere. Nec enim ut in humanis disciplinis, sic in fide locum habet lentus ille, sæpeque incertus progressus ab errore ad veritatem, quippe in hoc sita est fidei Christianæ firmitas, ut verbum fidei accipiatur non ut verbum hominum, sed ut vere est, Verbum Dei, cui ut Verbo Dei sine ulla dubitatione, suspicione, hæsitatione credatur. Dicat itaque Boehmerus qui faustus dies ille fuerit, quo primum die spiritus veritatis Luthero, ejusque Assectatoribus affulserit, eosque, ut a Christo Discipulis suis promissum est, omnem veritatem docuerit. Verum frustra id petieris a Boehmero, quem contra mox audiemus acres, diuturnasque contentiones memorantem, quæ inter pullulantes illas Sectas de fidei, religionisve constituendæ ratione continuo exarserunt, quibus defatigati duces earum, ac Magistri, cum finem nullum habituræ viderentur, inveniendi

veri desperatione coacti sunt de simulata quadam religionis concordia transactionum ope concilianda cogitare, quasi Divina Veritas a Christo Ecclesiæ tradita res hujusmodi sit, quæ dividi, distrahi, aut in quamcumque libuerit partem flecti, ac torqueri valeat: quo transigendi more convincuntur plane isti eum in causis fidei arbitratum sibi per nefas arrogasse, cujus invidiam per summam impudentiam in Romanos Pontifices rejicere tentarunt.

Cogitatum postea de via transactionis, nullo exitu.

Sic enim vero Boehmerus §. XVI. „ Post „ tempora reformationis supposuerunt (Protestantes) & praxi ipsa ostenderunt lites de *fide* decidi potuisse, uti Acta publica docent: „ magis tamen per viam *transactionis*, *&* *amicabilis compositionis*, quam per viam sententiæ judicialis. " Qua exitu docet pluribus subinde Boehmerus. Summa capita satis nobis fuerit strictim attigisse. Itaque §. XVII: „ Quin „ etiam præterea plurimis *colloquiis Theologorum* rem omnem fidei commiserunt, quæ tamen parum, vel nihil contulerunt ad fidei „ concordiam, ut ipsi Status Protestantes fassi „ sunt in litteris an. 1555. "

Postmodum de Comitiis Charismata Sancti

§. XVIII. „ Tandem eo res deducta est, ut „ Status Protestantes existimaverint, causam fi„ dei controversam in Comitiis decidi, & ami-

„ tabiliter componi posse, optime judicantes nec „ Laicis denegata esse Charismata Spiritus Sancti, „ adeoque iis quoque judicium de rebus fidei „ competere. " Addit tamen edoctos illos experientia fuisse parum hæc conferre ad *fidei consonantiam*.

Spiritus eam in rem Laicis attributa: haud meliori successu.

Christus Ecclesiæ suæ Pastores dedit, ac Doctores. Alios proinde voluit esse, qui docerent, qui pascerent, ac regerent, alios, qui docerentur, qui pascerentur, ac regerentur. Quem locum egregie tractat inter ceteros cl. Bossuetius singulari opusculo. Plebi quæ docenda, regendaque est, Charismata illa parata sunt Sancti Spiritus, quæ ad pietatis, sanctitatisve fructum, non ea quæ ad prædicationem, Ecclesiæve gubernationem pertinent, inter quæ illud eminet, quod in judicio de rebus fidei versatur. Christianæ plebi tot seculis non defuere Spiritus Sancti Charismata, nec tamen unquam ad fidei judicia plebes vocatæ sunt. An Spiritus Sanctus tot sæculis Ecclesiam ignorare passus est, qui suorum Charismatum usus esse deberet in Ecclesia? Quid? Si optime judicatum fuisset, ut ait Boehmerus, Charismata Spiritus Sancti adesse plebibus in judiciis fidei, cur Laicis ad Comitia vocatis nil ea profuere ad *fidei consonantiam*? Spiritus Sanctus certe Deus est Auctor pacis, & non dis-

sensionis. An non experimento saltem isto discere Protestantes debuere concordiam in rebus fidei non aliunde expectandam, quam ab his, qui a Christo munus, auctoritatemque habent sanorum verborum formæ præscribendæ, in qua omnes *Docibiles Dei* conveniant? Sic ergo eventus eorum expectationem fefellit, quos Boehmerus ait optime judicavisse, non esse Laicis denegata Charismata Sancti Spiritus in judiciis de fide; quodque jure mireris, mox rationem ille affert sane optimam, cur eventus expectationi non responderit, qua ipsa ratione optimi isti judicantes convincuntur pessime judicavisse, simulque confirmantur, quæ modo sunt a nobis adversus illam judicandi rationem proposita. „ Verum, „ inquit, nec hoc remedium profuisse, aut in „ effectum deduci potuisse, res ipsa loquitur, „ præsertim cum eæ controversiæ ita soleant „ singulorum meates occupare, ut nemo a præ„ concepta opinione recedere velit. " Quæ etsi referat ad remedium germanicis litteris proxime propositum, tamen postrema hæc verba sponte in rem nostram cadere perspicuum est.

§. XIX. Ad quatuor deinceps capita revocat Boehmerus, quæ pertinent ad constituenda fidei judicia. „ Cum itaque, inquit, ex his appareat, „ quantis animorum contentionibus, & fluctibus

„ de hac doctrina disputatum fuerit, & adhuc ho-
„ die gravia circa eam moveri soleant dubia,
„ quid circa *doctrinam Ecclesiæ* maxime *publicam*
„ juris sit? Videamus. Ubi ante omnia viden-
„ dum: (I) An & quatenus dogmata fidei de-
„ cisionem publicam admittant? (II) Cuinam jus
„ illa decidendi competat? (III) Quando decisio
„ publica necessaria sit? Et denique (IV) quem
„ effectum in foro civili producat? Hæc sunt fe-
„ re omnia illa capita, quæ in controversiam
„ deduci solent, quorum decisio tamen Theolo-
„ gis solis non relinquenda, cum potius ad Scho-
„ las, & Fora Jurisconsultorum pertineat, quo-
„ rum est eruere, quid justum sit circa res hu-
„ manas, & divinas." Hic jure nostro luculen-
tum aliquod a Boehmero testimonium requiri-
mus, quo doceat Spiritus Sancti Charismata,
quibus judicia de rebus divinis reguntur, subsel-
liis potius adesse Jurisconsultorum, quam Cathe-
dris sacrorum Antistitum. Sane quo tempore A-
postoli, eorumque Successores demandatum sibi
a Christo, & perpetua successione prorogandum
munus obire cœperunt docendi, cum quotidie
cresceret multitudo credentium, quotquot animæ
apponebantur in dies, non a foris Jurisconsulto-
rum, sed a ministris Verbi judicia petebant de
rebus divinis. Docendi ergo sumus a Boehmero,

Praepostera provocatio Boehmeri ad subsellia Jurisconsultorum.

quo primum die Spiritus veritatis sacram istam successionem contra promissum Christi deseruerit, & ad fora transierit Jurisconsultorum. Verum & quod maxime dolendum hac sua commentitia substitutione, suo exemplo docet nos Boehmerus, quam præceps sit lapsus ab errore in errorem. Interea duos nobis exhibet magni inter suos nominis de tota capitum illorum summa dissidentes Doctores, Jurisconsultum Thomasium, & Lipsiensem Theologum Carpzovium, quorum ponderatis argumentis pollicetur ostensurum se utrius sententia sit, non ad Scripturæ auctoritatem, sed ad principia Protestantium propensior.

§. XX. „ Quod primum concernit membrum, „ plerique supponunt, dogmata fidei etiam ad- „ mittere *decisiones judiciales*, & *publicas*, cum „ id antiqua, & nova praxis Ecclesiastica osten- „ dat, & utroque jure decisiones hujusmodi oc- „ currant. Sed quæstio ambigua est, adeoque an- „ te omnia eruendum, quo significatu *decisiones* „ *judiciales*, & *publicæ* veniant. Nam prima- „ rio & principaliter *decisiones publicæ* sunt *de-* „ *finitiones rerum controversarum auctoritate* „ *imperativa, vel judiciali factæ, & contra* „ *Refractarios in effectum, & executionem de-* „ *ductæ, pœnis etiam propositis, & applica-* „ *tis,*

„ *tis*, & hoc intuitu *legis prohibentis*, *vel præ-*
„ *cipientis vigorem habet*. Præsupponunt hu-
„ jusmodi *decisiones res controversas*, sed non
„ alias, quam quæ objectum legis esse possunt. "

En recidere cogitur Boehmerus, ut dicat decisiones versari non posse circa dogmata fidei. Argumentis quam infirmis.

Hinc eruit decisiones istas versari non posse circa *dogmata fidei*, quia leges dirigunt *agenda*, non *credenda*. Idque duplici ex capite confirmat: I Quia ineunda Societate non censentur subditi eo usque voluntatem in voluntatem Principis transtulisse, ut conceptus suæ mentis in rebus fidei, secundum voluntatem Principis formare vellent, nec Principes id potuerunt, nec velle præsumuntur: quandoquidem soli Deo competit imperium in mentem, & conscientiam. Alterum repetit *ex ipsa natura religionis*, *quæ omnem coactionem*, *& consequentur talem decisionem*, *prout definita est*, *non admittit*.

Sublata legitima decidendi authoritate de controversiis fidei tollitur nota, qua Verbum Dei a verbo hominum certo distingui valeat.

Decisionem de rebus fidei, quæ vim legis, seu quod eodem recidit, vim obligandi habeat, definiendam sibi sumsit Boehmerus, eamque sua definitione pro mero lubitu contraxit ad formam sententiæ judicialis, quæ, posita lege Principis feratur a Magistratu Civili. Qua exposita definitione concludit ejusmodi decisionem locum in rebus fidei nullum habere, siquidem Princeps imperare *agenda* potest, non *credenda*. Quod Princeps *credenda* imperare nequeat, rectissime

F

dictum a Boehmero fatemur, sed in hoc mirandum in modum hallucinatur, quod remota decisione a Magistratu prodeunte, putet se genus aliud omne decisionis removisse. Fallacia hæc est apertissima, prodiens ex vitiosa definitione, qua pro suo arbitratu decisionem judicialem in rebus fidei his conditionibus circumscripsit, quæ Magistratus Civilis actionem involvant. Error hic est scilicet, idemque gravissimus, quippe in rebus ad fidem, religionemve pertinentibus extat generis alterius decisio, a legitima auctoritate manans, quæque adeo judicialis merito dici potest, quæ non agenda tantam attingat, sed & credenda, cujus ea vis sit, ut & obligationem inducat, & contumaces consentaneis pœnis subjiciat. Exemplo esto Apostolicum Decretum, quo definita est orta Antiochiæ controversia. Non huic defuit legitima auctoritas, quam Apostoli a Christo acceptam, afflante Sancto Spiritu, explicarunt. Sententia porro fuit ejusmodi, quæ non tantum quid *agendum* præscriberet, sed & quid *credendum*: nempe ad salutem gentibus minime necessariam observationem legalium, qua de re orta erat contentio. Nec demum Apostolis deerat potestas contumaces consentaneis pœnis plectendi, cum Apostolus in promptu se habere testetur ulcisci omnem inobedientiam.

Hinc patet quam inania sint, quam male cohærentia, quæ objiciuntur a Boehmero. Legis est, inquit, *agenda* præcipere, non *credenda*: Verum id quidem de lege politica, seu civili. Ac non diffitetur Boehmerus Deo id juris esse, ut sibi loquenti credatur. Atqui *multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime locutus est nobis in Filio*. Quemadmodum igitur cum Verbo Dei credendum erat, quod missi a Deo Prophetæ Patribus annuntiabant, ita & Christi Verbo credendum est, per eos annuntiato quibus id muneris a Christo demandatum est, cujus muneris auctoritas, cum ex Verbis ipsius Christi aperte colligitur, quibus Apostolos prædicare, Petrum Fratres confirmare jussit, tum perpetuo Ecclesiæ more comprobatur. Nec enim diffitetur Boehmerus ab antiquissimis ætatibus ad Lutheri usque tempora id moris invaluisse, ut causæ fidei Pontificum judicio definirentur: quod institutum quisquis calumniari volet, cogitet ei fore concedendum, sanctissimos Patres, qui Apostolis proxime successere, continuo ab institutis Christi descivisse, Spiritumque Sanctum contra promissum Christi, natam vix Ecclesiam deseruisse, omnique errori patentem, & expositam reliquisse.

At contra certum est, quod sæpe urgendum,

voluisse Christum doctrinam suam & in omnes gentes, & in ævum omne propagari: Eamque in rem constituisse, non Jurisconsultos, qui de suis verbis transigerent, sed Ministros Verbi, qui acceptum Verbum prædicarent, a quibus id vicissim accipiendum esset, non ut verbum hominum, sed, ut vere est, Verbum Dei, cui nec addi liceret, nec minui: hanc propterea potentiam legitimis Administris datam, qua in captivitatem redigerent omnem intellectum in obsequium Christi, quo scirent omnes nemini fas esse de Christi doctrina privata interpretatione judicare. Hincque factum ex instituto Christi, & ad Apostolorum exemplum, ut causæ fidei ab illis definirentur, ad quos Apostolici Ministerii successio pervenisset, rataque definitio esset, quæ Sedis illius auctoritate firmaretur, in qua centrum est unitatis divinitus constitutum.

Hæc decidendi auctoritas velut a natura Religionis aliena immerito arguitur a Boehmero.

Nec minus ineptum argumentum est ex eo ductum, quod *fidei* definitio alienam a Religionis natura coactionem inferat. An vim religionis ignorabat Apostolus, cum formam doctrinæ præscriberet, in qua convenire omnes oportebat? Aut cum Verbi Administris potentiam datam testabatur, de qua dictum superius, ut omnem intellectum in captivitatem redigerent in obsequium Christi? Ludit Boehmerus, aut voluntarias

ultro sibi tenebras offundit. An forte hic agitur de coactione, quæ libertati vim inferat, quam nec ipsa natura patitur? Agitur de necessitate officii, quam secum infert legitimum quodvis præceptum: qua nempe intelligitur præscriptum officium ita necessarium esse, ut qui parere detrectet, & culpam contrahat, & subeundæ pœnæ obnoxium se reddat. Quod si qui rebus humanis præsunt, non ea potestate pollent, ut ad nutus suos adigere valeant assensum eorum, qui sibi parent, an ideo concidet memorata potentia Verbi Administris data, qua in obsequium Christi omnem intellectum redigerent, eamque doctrinæ formam præscriberent, cui ut Verbo Dei intimum quisque assensum præstare deberet? Quæ potestas cum ad integritatem depositi pertineat, ut Christus perpetuum depositum voluit, sic & perpetuam in Ecclesia auctoritatem custodem depositi.

§. XXII. Alio argumento utitur, quo confirmet quod minime necessarium videri poterat, ab Imperantium nutu fidei decisiones haudquaquam esse petendas. „ Denique, inquit, non necesse „ fuisse in rebus fidei submittere voluntatem „ suam Imperatoris Imperio, vel inde constat, „ quia unio civilis consistere potest etiam inter „ eos, qui diversos sibi de iis formant conceptus,

Decisionem hujusmodi proprie dictam nec ab Imperantibus haberi posse, nec privatis Doctoribus, aut etiam

Ministris Ecclesiæ inter Protestantes competere fatetur Boehmerus.

„ quod tot Rerumpublicarum exempla produnt." Mox tamen hanc exceptionem subjicit. „ Quod si denique seditiones præruptæ emergant, quæ aliter sedari non possint, quam certum quid in rebus fidei definiendo, tunc demum *decisiones* fidei fieri possunt, non tamen eo modo, quo antea definitæ sunt, sed alio, de quo deinceps dicendi locus erit."

§. XXIII. Docet nec ullum privatum talem decisionem interponere posse. „ Unde statim fluit, quod, si quædam decisio in dogmatibus fidei datur, quam *suo modo* dari, infra evincam, illa non ad *Doctores*, utpote quibus nullum Imperium competit, sed ad solum Imperantem referri debeat."

Hinc etiam concludit nec Doctoribus, nec Ministris Ecclesiæ inter Protestantes id juris competere. „ Datum est, inquit, Doctoribus, ut possint Dogmata fidei ex fontibus sacris eruere, inculcare, & quæ sit animi cujusque sui sententia privata proponere : Verum hæc sententia *decisionem judicialem* nullam continet, cum nec judiciariam potestatem habeant, nec imperativam auctoritatem, unde tamen unice dependet jus decidendi dogmata fidei, quatenus illud datur." Nulla civili judiciaria, imperatoriave potestate præditi fuere Apostoli,

eorumque proximi successores: Si ergo ab hujusmodi potestate unice pendet qualiscumque haberi possit judicialis decisio in causis fidei, dicendum erit omnis talis decisionis edendæ potestate primitivam Ecclesiam ab Apostolicis ætatibus prorsus caruisse: Quod si ita est, perperam, & immerito damnati fuere, ac rejecti velut a recta Orthodoxa fide devii Marcionitæ, Valentiniani, Manichæi, Sabelliani, innumeri alii, utpote contra quor nulla judicialis, legitima decisio prodire adhuc potuerat. Contra si jure, ac merito damnata fuere, ac rejecta portenta illa doctrinarum, si omni cura, & vigilantia in id incumbere debuerunt Ecclesiæ Rectores, ut castum, purumque Dei Verbum ab illa impietate, gregemque Christi ab erroris contagione immunem servarent, fatendum omnino sine ulla etiam imperativa, judicialive potestate, legitimam in causis fidei decisionem prodire potuisse.

Præterea videtur Boehmerus hoc ipso loco suismet Doctoribus Charismata invidere Spiritus Sancti, quo si afflatos eos censeret, majus quoddam auctoritatis pondus illorum sententiæ habituræ apud eum fuissent: Aliunde qui poterat ille in tanto dissentientium opinionum æstu Divini Spiritus afflatum agnoscere? Inextricabiles laquei sunt in quos ultro incurrat ne-

cesse est quisquis semel ab unitate discesserit.

Quæ de Doctoribus edixit eadem fere transfert ad suos Ecclesiarum Ministros §. XXIV, additque.,, Deinde, quod adhuc arrogantius est, ,, si ipsi Ministri Ecclesiæ dissentiunt, prout in ,, his controversiis communiter fieri solet, singu- ,, li se Ecclesiam constituere jactant, vel *major* ,, *pars* asserit, se veros, & legitimos Prophe- ,, tas, reliquos dissentientes falsos Prophetas es- ,, se, & ita rursus *Judices* se in ceteros con- ,, stituunt, cum tamen hi *legitimationem ad* ,, *causam* ab ipsis jure suo desiderent. " Qui ex *majori parte* veros se Prophetas agnosci volunt, consequens est, ut contra Protestantium principia Spiritus Sancti afflatum ad rectam Divini Verbi intelligentiam non jam privatis, ut singulis, sed majori numero adstrictum defendant.

Hinc etiam §. XXV, & seq. multis repellit Hontynium, & Carpzovium suo quemque modo pro decisionibus pugnantem, ostenditque quam absurde disserant, quam male secum ipsi cohæreant. Tum §. XXIX concludit.,, Ponamus ve- ,, ro haac litem decidi debere, quæritur, quis ,, *Judicis* partes sustinere debeat? Ecclesiam ju- ,, dicem constituit. Sed Ecclesia est totum *ag-* ,, *gregativum*; ergo rursus quæritur: Quænam

„ Ecclesia hanc decisionem formare debeat, „ an singulæ, an plures conjunctim sumptæ, „ an omnes? Si omnes: Quid fiet, si discrepent „ Ecclesiæ particulares, & Imperantes? Si plu„ res conjunctim sumptæ unius Provinciæ: quem „ exitum decisio habebit? Si ipsa membra mi„ nisterii, si Facultates Theologicæ inter se dis„ sentiunt, quorumne sententia prævalebit? An „ omnes *materialiter* decidere possunt, ut sin„ gulorum sententiæ judicatis accenseri debeant, „ an vero *majora* prævalebunt. Sed hoc vix as„ seri potest, quia alioquin Pontificii idipsum „ nostratibus olim jure objecissent, quod tamen „ admittere noluerunt."

Et §. XXX: „ Si dicis illam partem præfe„ rendam, cui Princeps assistit, revera veritas „ controversiarum non dependet ex Scriptura „ Sacra, nec a Spiritu Sancto supremo contro„ versiarum judice petitur, sed a *brachio se*„ *culari*. Ita contingere potest, ut quæ antea „ per Imperantis approbationem est decisa quæ„ stio in favorem unius partis ex dissentienti„ bus, a successore ejus aliter decidatur in fa„ vorem alterius partis ex dissentientibus, prout „ factum in controversia cum Arianis."

Quid luculentius quo pateat perperam a Protestantibus advocari privati Spiritus subsidium, Ex superioribus Boehmeri

sententiis manifeste sequitur perperam inductum fuisse Spiritus privati subsidium.

quo ad Scripturæ interpretationem, veramque Divini Verbi intelligentiam ducantur? Nil hactenus profuit privatus iste Spiritus ad eorum componendas controversias; nec sane prodesse poterat: tanto intervallo Doctores, Ministri, Facultates Theologicæ, Ecclesiæ ipsæ dissentiunt, nec tamen in eo dissensu, fatente Boehmero, Doctor quisque, aut Minister, aut Facultas, aut Ecclesia plus afferre auctoritatis potest, quam privata cujusque sententia conciliare sibi valeat. Si qui se veros Prophetas ostentant, a dissidentibus exploduntur; qui eodem jure hoc sibi donum usurpant. Quis ergo Spiritus hujusce privati fructus, qui aut nullus est, ut vere Catholici sentiunt, aut eo usque latitat, quod eodem recidit, ut quo loco sit, invenire hactenus Protestantes numquam potuerint: qui scilicet rogandi sunt, num eum velint universis adesse, an paucis tantum? Non universis; quibus si adfuisset Spiritus iste, quem ex Sancti Spiritus instinctu repetunt, jamdudum eos in perfectam concordiam adduxisset, quippe fructus Spiritus pax, & in veritate unitas. An paucis tantum? Verum quid juvat, si nulla nota internosci possunt, qui eo præditi sunt, ab illis qui falso eum sibi arrogant? Quod si vere adessent, quibus Spiritus veritatis adspiraret, isti profecto ut veri Prophe-

tæ audiendi essent, nec sine Charismatum injuria fides eis negari posset. Cujus tamen afflatua cum nulla inter dissentientes certa nota extet, necesse est Protestantes in hoc perpetuo discrimine versari, uemo ut sciat, utrum vero, an falso Prophetæ se adjungat. Certe quisquis inter dissentientes articulum quemcumque fidei credendum sibi statuit, aut Spiritum privatum sibi præ aliis assumit, isque Boehmero teste arroganter facit, aut de suo Spiritu privato diffidit, tumque nil ei superest, quo merito confidat verum esse articulum, quem sibi credendum proponit. Quo patet eo tandem rem deduci, ut vana hæc privati Spiritus existimatio, aut fanaticos, aut de tota fidei summa incertos homines reddere debeat.

In hac opinionum varietate, num & unde, & quemadmodum haberi valeant decisiones fidei ad compescendas controversias, hanc unam censuit Boehmerus viam ad elabendum aptissimam. §. XXXI. „ Cum ergo, inquit, eo, quo dictum est, „ modo decidi non possint dogmata fidei, videndum „ est, an non in sensu laxiori, & a priori plane „ diverso *decisio* hic locum habere possit, quæ „ denotat *approbationem publicam doctrinæ alicujus controversæ*, *hoc fine factam*, *ut ap-*

„ *probata tantum doceatur in publico religio-*
„ *nis exercitio, & ita tranquillitas Reipublicæ*
„ *conservetur*. Licet vero hæc *publica approba-*
„ *tio* proprie decisio non sit, *ab effectu* tamen
„ ita dicitur, quod controversia hoc modo sopia-
„ tur, eodem sensu, quo transactiones dici so-
„ lent decisiones. Nam & hæ controversiam non
„ definiunt, & quid in ea justum sit, determi-
„ nant, sed lites tantum sopiunt mutua conven-
„ tione transigentium, cum merita causæ inde-
„ cisa maneant. "

§. XXXII. Exponit quomodo hæc sua deci-
dendi ratio a priori differat: „ Hæc, inquit, tan-
„ tum respicit publicam doctrinam: verum autem
„ a falso non semper dirimit, quod prior inten-
„ dit. Unde contingere potest, ut hæc a vero,
„ & tramite Scripturæ Sacræ sit aliena, quod
„ nostrates objiciunt Pontificiis, quorum dogma-
„ ta tamen æque publice in plurimis locis appro-
„ bata sunt. Hæc vim non infert conscientiis,
„ sed singulis relinquit in rebus fidei arbitrium
„ *privatum* salvum, modo a publica doctrina ab-
„ stineant, quod secus se habet in priori, ubi
„ tantum gloria parendi plebi relicta est, cum
„ obligatione conceptus suos ad decisiones præ-
„ scriptas formandi. Hæc fit a solo Imperante,

„ sine concursu necessario Theologorum, quem „ requirit prior, secundum quam *jus decidendi* „ Ministeriis vindicatur &c..“

Nec vero dissimulat Boehmerus §. XXXIV grave ex hac sua ratione incommodum suboriri, e quo frustra nititur se se expedire: „ Quod si „ urges, ita Principem posse doctrinam Verbo „ Divino contrariam approbare, & infinitam „ hominum multitudinem in perniciem deduce- „ re; respondeo in tanta dissensione circa arti- „ culos fidei id liquido ostendi non posse, cum „ quælibet Secta Scripturæ Sacræ innitatur.“

In Sectarum a Catholica Ecclesia dissentientium dissidiis, nulla sibi de adepta veritate blandiri potest.

An non hoc responso satis innuit Boehmerus nihil se habere quod respondeat? Non diffitetur fieri posse, ut Princeps edicto præscribat publicam doctrinam Verbo Dei contrariam, atque ita infinitam hominum multitudinem in perniciem deducat. Quid tandem reponit? Nempe hoc liquido ostendi non posse. I. Esto non possit ostendi: at semper subest periculum. Quis jam Christianus homo, ac vere probus viam probare possit cum tanto periculo conjunctam? Deinde falsum est non id ostendi posse. Imo in tanta Sectarum dissensione, quarum aliæ aliis Imperantibus parent, quæque adeo diversas habent publicæ doctrinæ formulas, necesse prorsus est id evenire. Nam in ea formularum varie-

tate, cum utique fieri possit, ut omnes a veritate aberrent, (quod certum est de omnibus, quæ a Catholica doctrina dissident) tum id saltem fateatur Boehmerus oportet, cum plus una vera esse nequeat, si una Sacræ Scripturæ, Verboque Divino consentanea est, reliquas omnes hoc ipso contrarias esse, ut proinde nonnisi unam liceat Boehmero errore liberare, quo nec etiam quicquam assequatur: Quippe semper id ex ejus principiis constabit, Sectas Protestantium omnes errare præter unam, & cum hæc una quæ sit, sciri non possit, & hanc ipsam, si non in errore, in communi saltem erroris periculo versari.

Nec vero ad effugiendum, aut prævavendum periculum valet, quod continuo subjicit Boehmerus: „ Principem pro habitu non quamcunque „ doctrinam approbaturum esse præsumi. Quod „ enim hoc facere possit dependet ex *Jure Imperii*; ast quomodo in approbanda doctrina se gerere debeat, ibi merito examen secundum Scripturam Sacram instituere, & matura deliberatione tandem determinare debet, „ qualem doctrinam Scripturæ Sacræ conformem „ esse judicaverit ". Enim vero non a quocumque Principe, maxime propter multiplices curas, quibus distinentur qui rebus humanis præsunt,

expectanda est matura ista circumspectio, quam requirit Boehmerus, quamque non negat ab illis prætermissam, qui Arianis olim partibus faverunt. Deinde quacumque circumspectione utatur Princeps, consentit etiam Boehmerus judicium illius nunquam non esse errori obnoxium. Imo certus error est, ut supra dictum est, ubi diversis in Ditionibus diversæ, ac sibi repugnantes a diversis Imperantibus præscribuntur formulæ doctrinæ.

Quod vero contendit Boehmerus posse Principem *Jure Imperii* publicam fidei formam præscribere, id a Christiana institutione abhorret quam maxime. Eadem sunt Imperii jura penes Ethnicos, atque penes Christianos Principes. Jam vero quo tempore Apostoli formam unam doctrinæ Ecclesiis omnibus tradebant, sive intra, sive extra fines Romani Imperii, num forte expectanda erat Imperatorum, aliorumve Principum approbatio, ut Apostolicæ doctrinæ forma per omnes Ecclesias, & ab omnibus servanda publicæ doctrinæ vim haberet? Num publicæ doctrinæ expertes etiamnum sunt Christianæ Ecclesiæ, quæ in Ditione sunt Principum infidelium? An cum Christus doctrinam suam jussit per Apostolos, eorumque Successores universo Mundo prædicari, non satis virium Verbo suo impertiri potuit, ut

etiam sine Principum consensu, Prædicantium, quos mittebat, valeret auctoritas?

At jam paullisper ad ea redeamus, quibus invectam a se decidendi rationem ceteris anteponendam Boehmerus censuit, nempe quod ea publicam tantum doctrinam attingat, verum a falso dirimere non intendat: fieri utique posse, ut præscripta publice doctrina Verbo Dei sit contraria: licere proinde privato sentire, ut lubet, modo a publica insectanda doctrina abstineat. Siccine hæc sunt, quæ ferre Christianæ aures valeant? Hæccine disciplina tua est, Boehmere, ut quis alio modo Christianus sit interius, alio modo se Christianum prodat exterius? Horret privatus quispiam impietatem Arianam: vivit in loco, ubi hæc Edicto Principis vim habet doctrinæ publicæ. Num ei fas erit, modo corde retineat quod vult, ad eum se cultum simulate adjungere, quo nefariæ istiusmodi impietatis publica professio continetur? Non ille ludibrio habet religionem qui putet pietatem animi cum impietatis aperta simulatione posse consistere? Ubi ergo illud Apostoli: *Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem?* Sed satis de commento, quod probo Viro nemini non absurdissimum videri debeat.

Hinc etiam liquet, quo loco habenda sint,

quæ

quæ §. eodem subjicit in eamdem sententiam: „ Ita, inquit, & hac publica approbatione *Juridica* loquendo, doctrina Ecclesiæ dicitur *Orthodoxa*, prout observat Schilterus, inquiens: „ Non potest præsenti in negotio *Orthodoxia aliter æstimari, nisi ex conscientia, atque judicio ipsius summæ potestatis in quavis Republica post justam causæ cognitionem, & scrutinium cum Clero, & Statibus suis* “. Non abs re fuisset ab Schiltero, & Boehmero locum aliquem proferri Sacræ Scripturæ, quo distinguere doceremur juridicam istam Orthodoxiam a Christiana Orthodoxia. Hanc omni monumentorum genere a Patribus commendatam accepimus, atque ita commendatam, ut una, constans, perpetua retineri debeat: illa vero utpote quæ ab Imperantium judicio pendet, varia, multiplex, commutabilis sit, oportet, ut varium, multiplex, commutabile est judicium Imperantium. Eo spectat juridica ista Orthodoxia, ut, quod vetustati omni, quod Apostolis ipsis ignotum prorsus fuit, doctrina, quæ Verbo Christi sit contraria, nihilominus doctrina Christiana habenda sit, & quidem Orthodoxa, quo nil cogitari potest, quod sibi repugnet magis. Hac censent isti effici potuisse, ut Summæ Trinitatis fides, de qua supra Boehmerus, quæ pridem tot millia martyrum

Deo consecraverat, Orthodoxa ad Constantinum usque, regnante Constantio Orthodoxa esse desierit, rursumque aliis Imperantibus ad Orthodoxiam redierit. Quid te juverit, Boehmere, nova ista prodiens ex foro juridica Orthodoxia, nisi eam ad Christianam Orthodoxiam, Apostolicis e fontibus petitam accommodare valeas? Quod fieri non posse quisque intelligit nisi Christiana Orthodoxia, quæ suapte natura lex est veri, ac recti, ad errorem perinde atque ad veritatem flectatur.

Nemini extra Catholicam degenti constare potest, Christi se doctrinam vere profiteri, atque adeo vere, & fideliter Christianum esse.

Frustra igitur ad causas fidei dirimendas Boehmerus amicabiles illas suas transactiones adhibere studuit, aut judiciales decisiones, quæ transactionum vim, indolemque præ se ferrent: quibus non aliud consequatur, quam ut simulatam quamdam in externa Fidei professione concordiam inducat, non illam, quam præscribit Apostolus unam in omnibus Ecclesiis doctrinæ formam, unam convenientium in omni Ecclesia fidelium unanimem in uno, eodemque sensu consensionem, quibus demum id efficiat, ut nemo Christianus conscius sibi esse queat, se vere esse Chrisrianum. Neque enim dignus quisquam hoc nomine est, qui Christi fidem, ac doctrinam non ex animo profiteatur. Jam vero prodeat quis Boehmeri disciplina institutus, qua tandem ra-

tione confidere iste poterit veram se Christi doctrinam profiteri? Aut enim privato Spiritu sibi certo innotuisse jactabit, tumque arrogantiæ vitium non effugiet, judice ipso Boehmero, aut si privato Spiritui diffisus, suo cuicumque proprio judicio indulgebit, vel transigendo se se aliorum sensui accommodabit, tumque & ipso Boehmero judice erroris periculum effugere non poterit, nec adeo sibi certo conscius esse, doctrinam revera Christi esse, quam suo vel aliorum judicio amplectendam judicaverit.

Atque hic sistimus: nec enim propositum nobis fuit omnia notare, quæ in hoc ipso Boehmeri capite Catholicæ doctrinæ adversantur, sed ea dumtaxat attingere, quibus ille ad fidei controversias dirimendas transactionum viam instaurare, veteremque adeo pervertere studuit Christianæ institutionis formam, quæ ab Apostolis accepta, unanimi Patrum traditione, constanti Ecclesiæ more ad nos pervenit, qua edocti sumus Christianæ Orthodoxæ fidei professionem constare nullo modo posse, nisi Verbo Dei firmissimus, qui Deo loquenti debetur, assensus præstetur: Ad hanc assensus firmitatem requiri, ut certa auctoritate constet de Verbo Dei: Certam istam auctoritatem penes Ecclesiam docentem residere, quæ fide, & communione cum ea

Sede cohæret, quæ unitatis centrum est, ac vinculum, in qua semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus: ad quam necesse sit omnem Ecclesiam, omnes qui undique sunt fideles convenire: in qua vivit adhuc, & præsidet, qui præstat quærentibus fidei veritatem, qui universum gregem, ipsosque adeo singularum gregis portionum Pastores pascere, unusque præ ceteris Fratres confirmare jussus est.

Vix hæc erant litteris consignata, cum in locum recidi, quo loco arrepta occasione exponendi tituli *de Hæreticis*, ad hanc ipsam de fidei controversiis disceptationem redit Boehmerus, sententiis porro adeo discrepantibus, ut inconstantiam hominis, erransque de tota re judicium prodant apertissime, simulque confirment, quam provide, quam sapienter Christus Ecclesiam suam instituens, Verbique sui prædicationem Apostolis, eorumque Successoribus committens, perpetuo eis affuturum Sancti Spiritus afflatum promiserit, cujus præsenti ope, in omni exoritura de fide controversia, firmo, ratoque judicio Verbum veritatis a Verbo mendacii certo, tutoque secerni valeret. Sententias ipsas continenter ac velut ex ordine descriptas in medium proferemus, ut ex harum collatione, primo aspectu præcipere jam quisque animo valeat ac velut cogitatione infor-

mare, quæ de hujusce Doctrinæ ratione paullo uberius explicare aggredimur. Sunt hæc itaque effata Boehmeri tom. 4, l. 5, tit. 7, *De Hæreticis*.

I. §. 7. „ De sensu Spiritus Sancti contendunt dissentientes, & quælibet Secta se eum esse assecutum credit ".

II. §. 9. „ Quælibet Ecclesia veritatem penes se esse constituit: Altera alteri imputat errores, & quæ prævalet, ex principatu monopolium veritatis sibi attribuit, & Orthodoxiam se possidere censet ".

III. „ Eodem modo judicant ex suis principiis Protestantes, ubi suæ confessionis principatum tenent, & reliquas Sectas a se dissentientes, ut Arianorum, Unitariorum &c. errare, & hæreticas esse constituunt ".

IV. §. 14. „ Sine dubio Judicis Supremi partes sustinet Sacra Scriptura, cujus evidentiam tamen Catholici in dubium vocant, & traditiones propterea urgent a nobis rejectas ".

V. §. 15. „ Equidem respectu Dei non excusatur a culpa, qui in errore in articulis fidei versatur, quia Christus est Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum ".

VI. §. 16. „ Ignorantiam in Laicis vix re-

„ probare possunt (Catholici), postquam Scri-
„ pturæ Sacræ Lectionem vel dissuadere, vel ve-
„ tare solent ".

VII. §. 22. (Recitatis paucis verbis de Ecclesia, ex Trident. Sess. 14). „ Verba hæc satis sana sunt, si de Ecclesia per totum dispersa Orbem, eaque invisibili accipienda sunt, non de Republica Ecclesiastica Romana; quam tamen Tridentini tantum pro Ecclesia venditant vera ".

VIII. §. 183. „ Religio vera, qualis est Christiana, in plures Sectas divisa ".

IX. §. 187. „ Pastores esse debere ad docendum accommodatos, cum mansuetudine erudientes dissentientes, si forte, Deo eos ad frugem revocante, verum agnoscant, & Diaboli laqueum evadant ".

X. §. 188. „ Sectarum diversitas in Religione Christiana evitari, & præcaveri non potest, sed, ut ita loquar, est malum quoddam necessarium, cui eradicando Respublica impar est. Docent Antiquitates Ecclesiasticæ a primo Christianismi exordio varias extitisse Sectas ".

XI. §. 167. (N. VI *De Hæresi*, *& Orthodoxia in sensu civili*). „ Hodie in Germania unice hæresis, & Orthodoxia in sensu civili

„ æstimari debet, postpositis atque repudiatis Ju-
„ ris Canonici doctrinis, quibus dicam scripse-
„ runt transigentes in hac materia. Inde vero
„ palam est, hæresim aliter sumi in sensu Theo-
„ logico: Aliter in sensu Juris Canonici: Aliter
„ in sensu Civili ".

Itaque §. 14 Scripturam Sacram docet Supremi Judicis partes obtinere in controversiis fidei, eaque de re Catholicos reprehendit, qui ejus evidentiam vocent in dubium.

At §. 7 Declarat ipse non semper talem esse hanc evidentiam, quæ satis per se se præsidii afferat ad controversias fidei determinandas. Quippe definitionem expendens, qua Sanctus Hieronymus hæresim in eo constituere videtur, quod quis Scripturam aliter intelligat, quam sensus Spiritus Sancti flagitat, eam velut minus aptam arguit, quod *de hoc ipso sensu Spiritus Sancti contendunt dissentientes, & qualibet Secta eum assecutum esse credit*. Quæ contentio eo usque progreditur, ut (§. 9) „ quælibet Ecclesia ve-
„ ritatem penes se esse constituat: Altera al-
„ teri imputet errores, & quæ prævalet, ex
„ principatu *monopolium veritatis* sibi attri-
„ buat ". Hinc fieri, ut & „ eodem modo ju-
„ dicent ex suis principiis Protestantes, ubi suæ
„ confessionis principatum tenent, & reliquas

„ Sectas a se dissentientes, ut Arianorum, Unitariorum &c. errare, & hæreticas esse constituant ". Nondum ergo ex omni ætatum memoria tot dissidentium Sectarum gregibus, nec inter ipsosmet Protestantes istuc felicitatis obtigit, ut e Scripturæ littera satis perspicuum evidentiæ lumen se offerret, quo Spiritus Sancti sensum explorate perspicere, suasque de Summa Religionis, ac fidei acerrimas controversias componere, ac definire valerent.

Ac revera fac ex istis prodeat in medium Vir quisque veritatis agnoscendæ cupidus, atque inter istos controversiarum æstus Boehmerum adeat, rogetque ex. gr. quid sit sibi de Filii æqualitate cum Patre in Divinis sentiendum. Non dubitabit ille perfectam æqualitatem affirmare, hoc nixus Christi testimonio: *Ego, & Pater unum sumus* [a]. Quid vero si præsto adsit Arianus, qui hominem ad se revocet, dicatque hac inducta Filii æqualitate graviter offendi Majestatem Patris, cum Filius de se ipse testetur: *Pater major me est* [b]: sensumque adeo Spiritus Sancti in superiore testimonio non naturæ, sed concordiæ unitatem designare? Dubius profecto,

(a) Johan. 10, v. 30.
(b) Johan. 14, v. 28.

& anceps hærebit percunctator hic noster, arguetque nec immerito Boehmerum, qui evidentiam polliceatur, quam præstare non possit. Audio, inquiet, ex te, Boehmere (§. 15), Christum lucem esse, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, nec habiturum coram Deo excusationem culpæ, qui errore abreptus in articulis fidei, ab hac luce desciverit. Homo ego sum, illuminari cupio, Fidem tuam imploro, evidentiam requiro, quæ in re tanti momenti suspicionem erroris omnem removeat.

Heu, bone Vir, desine frustra fatigare Boehmerum! Non eum docentem audis (§. 183), Religionem veram, qualis Christiana est, in plures Sectas esse divisam, quarum singulæ privatim, omnes vero pari jure monopolia sibi veritatis attribuant: Sectarum hanc diversitatem (§. 188) a primo Christianismi exortu cœpisse, malum esse quoddam necessarium, cui eradicando Respublica sit impar? Non ideo sistit molestus interpellator? Quam mihi Rempublicam narras, inquit, quasi res sit de stillicidiis? Impar esto Respublica malo huic eradicando: An impar Christus? Non ille potuit cum unam Religionem, quæ vera esset, quasi clarissimum Sydus terris inferret, expressa suæ lucis vestigia relinquere, quibus persequendis, ad veri-

224

tatis domicilium, recta, certoque tramite ducerentur? An miseris mortalibus id solatii relictum est ad evadendum laqueum Diaboli, ut per innumera excurrant fictarum veritatum monopolia, nec earum tantum Sectarum, quæ vigent adhuc, sed & aliarum præterea excutienda sint, si quæ supersunt monumenta Sectarum, quarum vel nomina ipsa obsoleverunt? Siccine veniens Christus lucem attulit, ut eam discedens in Astra secum retraheret? Ambages sunt istæ, quibus expediri volo; indignum facinus ab eo me deseri, qui me in summam expectationem adduxerit.

Apage te, reclamat Boehmerus, parce ista objicere Viro, qui cum vere dixit Christum Lucem esse, quæ illuminat omnem hominem, consequenter subjunxit, quo nil potest esse congruentius, Christi Ecclesiam revera toto esse orbe dispersam. Erigit se ad hæc Boehmerianus Alumnus, ac velut voti factus compos, gratulatur sibi, enixeque petit eam dari sibi tamdiu expetitam notam, qua tandem veram a Christo institutam Ecclesiam agnoscere valeat.

Confirmat Magister quod a se dictam est diffusam quidem Orbe toto esse Christi Ecclesiam, non sic tamen ut una velut corpore coagmentata cadat sub aspectum; nullam proinde dari posse aspectabilem notam ejus Ecclesiæ, quæ

sit invisibilis plane intelligenda (§. 22). Silet hic percunctator, & abit.

Sinat nos proinde Boehmerus abeunti tantisper succedere, paucaque in rem eamdem subjicere. Supremum de fidei controversiis judicium in sola Scriptura ille constituit. At quo jure ad Scripturam provocet, qui nec sinceram Scripturæ litteram a subditicia, nec litteræ sinceram intelligentiam a fucatis cujusvis depravatæ Sectæ interpretationibus rata ulla, fixaque auctoritate vindicare queat? Non ea certe fuit prima Ecclesiæ institutio, qualis a Christo prodiit, qualem tenuere Apostoli, suisque Successoribus tenendam præcepere. Unam illi propagabant per omnes Ecclesias formam doctrinæ, nec aliter esse poterat, siquidem quam ab uno Christo acceperant, doctrinam prædicabant. Verum equidem nec illa ætate pervicacis ingenii homines defuisse, qui loquerentur perversa, ut abducerent discipulos post se: Fuere Hymenæus, & Philetus, & Alexander, fuere & alii. Malum id fuerit quoddam necessarium, quemadmodum dictum est a Christo, necesse esse ut veniant scandala. Non idcirco elanguit vox prædicationis, non obstructa illustris nota, quæ veritatem ab errore palam distingueret. Præsens aderat subsidium ad instituti sui perennitatem a Christo paratum: aderat

visibilis Ecclesiæ visibilis auctoritas, potens controversiam omnem definire, insurgentes errores perimere, errantium contumaciam ulcisci; ut nemo non prorsus insipiens dubitare posset in oroni exorta controversia, num in Hymenæi potius monopolium conjicere se se, quam ad Ecclesiæ docentis magisterium conferre deberet.

Insigne potestatis hujusce documentum suppetit ex Apostolico, Hierosolymitano Concilio, quo plane docemur in Religionis controversiis haud cuique licuisse ex sola littera Spiritus Sancti sensum eruere, sed rem totam ad Apostolicum judicium referendam fuisse, ut quid revera Spiritui Sancto visum esset, rato, firmoque Decreto pateret. Antiquitates Ecclesiasticæ, quas laudat Boehmerus produnt sæpe quidem a muta littera ad Apostolicum judicium, nunquam nisi ab hæreticis ab Apostolico judicio ad controversam litteram, privatu cujusque sensu intelligendam provocatum fuisse. *Quid adhuc quæris examen quod jam apud Apostolicam Sedem factum est* a? Sic Juliani contumaciam compescuit olim Augustinus. Præposteram hujusmodi provocationem nec ratio patitur, nec Leges Divinæ, & Eccle-

(a) Lib. II Oper. imperf. con. Julian. n. 103.

siasticæ in causa Religionis, nec humanæ leges in civilibus unquam concessere.

Dum sic vigeret ex instituto Christi Apostolicæ prædicationis auctoritas, quis potet Apostolos scribendi consilium hac mente cœpisse, hoc animo, ut litteram traderent, intelligentiam cuique permitterent, demandatum a Christo sibi, suisque Successoribus Magisterium abolerent? An forte obliti fuerant docendi munus, quo fungebantur, sic fuisse illis impositum, ut nunquam esset desiturum? Sane præter multa illa, quæ superiori commentatione collecta sunt, an non magisterii hujus perpetuitatem satis commendat ipsamet Pastorum, qui ex eo prodituri essent institutio, quales eos ex Apostolo Boehmerus descripsit (§. 187) accommodati ad docendum, ad erudiendos dissentientes, si forte, Deo adjuvante, verum agnoscant, & Diaboli laqueum evadant? Quæ porro spes reliqua Pastoris hujuscemodi reperiendi, ubi deserto visibili Ecclesiæ Magisterio, ventum sit ad Boehmeriana monopolia? Dicat Boehmerus quo potissimum e monopolio sit ille nobis Pastor eruendus, qui unus, ceteris nequicquam repugnantibus, recte nos doceat articulos fidei, tutosque reddat ab erroribus, qui coram Deo non excusantur a culpa?

Apud Catholicos saltem ait Boehmerus (§. 6)

ignorantiam in Laicis vix reprobari posse, postquam ipsis lectio Sacræ Scripturæ vel dissuadetur, vel vetatur (quod quale sit, non ex Boehmero petendum, sed ex Tridentino, Constitutionibusque Pontificum). Nulla igitur, ipsomet Auctore, justa esse poterit excusatio ignorantiæ apud Sectas dissidentes, quæ plenam tribuunt legendæ Sacræ Scripturæ facultatem, ac licentiam. At, quæro, Boehmete, quid proderit litteram tradidisse, nisi & intelligentiam præbeas, quæ veritatem aperiat? Oritur de articulo fidei contentio Boehmerum inter & Socinum, producitur Scriptoræ locus. De littera forte convenit, de sensu pugnatur acriter. Uterque sibi Spiritus Sancti sensum arrogat. Errat proinde alteruter, & quidem in articulo fidei, adeoque in errore versatur, qui respectu Dei non excusatur a culpa. In eo disputationis æstu quid consilii capiet homo rudis præsertim, & imperitus? Agitur de summa re, de laqueo Diaboli evadendo. Veritatem ille per se se assequi non valet. Necesse proinde habebit illi se accommodare, quem privato suo judicio alteri præstare censuerit, nec sine magno errandi periculo, cum uterque sit errori obnoxius, nec certa ulla nota dignosci possit, uter sit Spiritus Sancti sensum reapse assecutus. Hærebit ille propterea, ubi Catholico

Laico nullus hæsitandi locus, quippe cui Pastores sui non propriam quam cogitatione informaverint, Scripturæ, ac Dogmatum intelligentiam porrigunt, sed quam omnibus communiter ubique tradendam ipsimet accepere sibi traditam ab Ecclesia, quæ Columna est, Firmamentumque veritatis. Ubi ab hac norma descivieris, in privata continuo privatorum de fide judicia relaberis, a quibus nusquam abesse potest erroris in articulis fidei periculum.

Neque ad præcavendum periculum satis est, si dixeris errorem non esse hujusmodi, in quo Magistratus Civilis hæreseos crimen hærere decreverit. Nam & hoc placuit Boehmero (§. 167, n. VI, *De Hæresi &c.*) *Hæresim aliter sumi in sensu Theologico: aliter in sensu juris Canonici: aliter in sensu Civili.* Nil, inquam, juvat præpostera hæc, Apostolicis auribus inaudita distinctio. Vitanda nobis hæresis est eo sensu, quo vitandam Hæresim præcepere Apostoli (a)? Satanæ traditos a se memorat Apostolus I ad Timoth. I. Hymenæum, & Alexandrum, qui circa fidem naufragavissent: Num minus eos in laqueum Diaboli incidisse, & velut Hæretica labe infectos non æquo jure habendos in Ecclesia fuisse cen-

(a) Ad Tit. c. 3.

sebimus, quod nulla Civilis Magistratus venia, solius Apostolicæ auctoritatis vigore damnati essent?

Hæc fuit ab initio in causis fidei Apostolici Ministerii certa, constansque auctoritas, quam in ævum omne cum successione ministerii prorogandam hoc ipso Christus declaravit, quod in hoc munere fungendo suis se Apostolis affuturum promisit ad consummationem usque sæculi: quo plane intelligitur id promissum non ad Apostolos tantum, quorum breve futurum erat vitæ curriculum, sed & ad eorum, qui omni consequenti ætate futuri erant in Apostolico munere Successores, pertinere. Ministerii Successio nunquam desiit aspectabilis esse in Ecclesia Catholica. Facti res est, quam nemo negare queat: an vero qui hanc promissi partem de successione splendide adeo præstitit, non alteram de semper affutura sui præsentia æque præstiterit! Quid? Ad hanc ipsam præsentis Numinis opem comprobandam non & ipsa valebit, quæ promissam successionem, & successioni conjunctam prædicationem comitata est Divina efficacitas? Scilicet Apostolico Ministerio injunctum est a Christo externum prædicationis munus, quo gentes omnes vocarentur ad obedientiam fidei. Nec dicto mora, quippe simul cum Ministerii successione vi-

guit

guit perpetuo istuc prædicationis officium ; Centesque omnes revera vocatæ sunt ad fidem: Atque ita factum est, ut doctrinæ ministerium successionis continuationem eam habuerit, quam Christus futuram prænuntiavit : idque per eam successionem effectum sit, quod per eam facturum se Christus promisit ; & qualis ab eo prædicta fuit nunquam desitura ædificatio corporis sui, quod est Ecclesia, talem exitus omni ævo comprobarit. Quid præclarius, quo palam fiat Christum Ecclesiam suam per totum Orbem diffundi voluisse, non ut *invisibilis* versaretur in latebris, instar lucernæ latentis sub modio, sed ut ex alta sede suos quaquaversus radios diffundens, omnes ex omni gente docibiles Dei ad Evangelii lucem adduceret. Quam proinde „ dolendum (liceat mihi verbis Augustini Epist. „ LII, n. 1, Boehmerum alloqui) ut qui secun„ dum carnem fratres sumus, in Christi corpore „ non una societate vivamus, præsertim quia facile „ tibi est attendere, & videre Civitatem super „ Montem constitutam, de qua Dominus ait in „ Evangelio, quod abscondi non possit. Ipsa est „ enim Ecclesia Catholica, unde Καθολικὴ græce „ appellatur, quod per totum Orbem diffunditur. „ Hanc ignorare nulli licet, ideo secundum Verbum „ Domini Nostri Jesu Christi abscondi non potest."

DE PLENITUDINE POTESTATIS EPISCOPALIS AN ET QUOMODO SINGULIS EPISCOPIS TRIBUENDA, SEU DE DISCRIMINE POTESTATIS ORDINIS ET POTESTATIS REGIMINIS COMMENTARIOLUM.

Agnoscit Gerso Monarchicum Primatum in Romano Pontifice, hæreticum habendum, qui hunc neget, ac ceteros Episcopos in regiminis potestate exæquet Romano Pontifici.

ANimadverti superiore opusculo Melanchonem, cum acriter inveheretur in censuram a Parisiensibus Doctoribus adversus Lutherum latam, gravissimum id judicium cum aliis multis, tum & hoc etiam nomine per summam impudentiam perstrinxisse, quasi, ut ipse criminabatur, indignum plane foret præclara existimatione celeberrimæ illius scholæ, e qua Magistri olim prodiissent sacrarum litterarum scientia præstantissimi; quæque vel proximo Sæculo insignem Virum Johannem Gersonem, Christiani spiritus plenum extulisset. Quo loco notandam censui hominis

levitatem, & inconstantiam, qui plenus odii in Sedem Apostolicam, plenum dixerit Christiani Spiritus hominem, cujus constans hæc fuisset de Apostolicæ Sedis auctoritate sententia [a] „ Schismaticum, & hæreticum habendum, qui ne„ garet statum Papalem institutum esse a Deo „ supernaturaliter, & immediate, tanquam ha„ bentem Primatum Monarchicum, & Regalem „ in Ecclesiastica Hierarchia [b]: " & qui sentiunt „ quod quilibet Episcopus in sua Diœcesi est „ Papa, vel Pastor Supremus æqualis Papæ Ro„ mano, errare in fide, & unitate Ecclesiæ „ contra articulum hunc *Et unam Sanctam* „ *Ecclesiam*, & si pertinaces maneant, judi„ candos esse hæreticos, sicut Marsilius de „ Padua, & quidam alii. " Quibus verbis recitatis hæc subjunxi: „ Quæ si ab homine „ Christiani spiritus pleno profecta sunt, quo „ tandem spiritu inductus videri Melanchoni de„ buit Lutherus, qui nil non molitus, quo Pa„ pæ auctoritatem everteret? Quo spiritu indu„ cti etiamnum videri debent, qui singulis E„ piscopis, suis maxime in Diœcesibus, plenam,

(a) De statib. Eccles. Consid. I.
(b) De Auferibil. Consid. VIII.

„ & Papæ auctoritati æqualem auctoritatem at-
„ tribuunt.“

Et quidem quod attinet ad Heterodoxos, qui palam a Catholica fide descivere, patet per se sè, quo spiritu ducti sint ad eam oppugnandam Sedem, quæ Catholicæ unitatis centrum est, ac vinculum.

De aliis vero uberior explicatio requiritur, qui Catholicam professionem præ se ferentes, Primatus nomine ad speciem retento, plenitudinem eam potestatis, qua vis ejus maxime continetur, aut Romano Pontifici detrahere, aut cum aliis quibusque Episcopis communem facere contendunt. Qui cum ad Patrum testimonia provocantur, ne & horum pariter auctoritatem penitus contemnere videantur, hoc sane facili compendio utuntur ad elabendum: Patres nimirum tametsi omni veneratione dignos, oratoria haud raro exaggeratione ultra provectos esse, quam par esset: qui hoc ipso tamen concedant, oportet, Apostolicæ Cathedræ Principatum Patribus visum esse amplum adeo, & excelsum, ut de illo pro dignitate satis apte dicere se non posse censerent, nisi splendide, nisi magnifice, elateque dicerent: Quanquam nec semper splendido eo dicendi genere Patres usi sunt, nec eo utendo putanda est eis universe defuisse plena illa gra-

vitatis, & prudeotiæ circumspectio, qua gratiooi moderareotur, caverentque, ne unius extollendo Primatu, reliqui Pontificalis Ordinis dignitatem offenderent, neque religionis integritatem quoquo modo violarent.

Nunc jam de hac ipsa potestatis plenitudine paucis dicere ingredior, oec invite, oon quod argumenti dignitati parem me doctrinæ copiam afferre posse confidam, sed quod causa agatur hujusmodi, quæ oon alio quam uno paullo diligentioris operæ subsidio egere videatur, quo expeditis ambiguitatum laqueis, quibus implicari solet a nonnullis, plana, & dilucida prodat se vi sua quæstionis explicatio.

Duplex in Episcopatu potestas, una Ordinis, quam Sacramentalem vocat S Thomas: altera Regiminis.

Ducendum itaque initium a notissima illa distinctione, Doctorum omnium uoanimi consensione probata, qua in Episcopatu (de hoc enim speciatim hic agitur) duplex potestas distinguitur, una quæ Ordiois, altera quæ jurisdictionis dicitur, seu Regiminis.

Plenitudo potestatis Ordinis æqua in omnibus Episcopis.

Ac potestatem quidem Ordinis consentiunt omnes suscipienda ordinatione a Deo per se se, seu *immediate*, ut ajunt, infundi, quo fit, ut quaoquam multis de causis prohiberi quis possit, ne legitime illa utatur, tamen vis ipsa potestatis oec auferri unqoam valeat, nec præpediri, quomious effectum exserat, ad quem est Divino

institutu comparata. Episcopus proinde quantacumque censura irretitus, quamvis hæreticus etiam aut Schismaticus, si *confirmando*, vel *ordinando* ea integre servet, quæ ad substantiam pertinent *Confirmationis*, *Ordinationisve*, impie ille quidem aget, verum firma *Confirmatio* ipsa, *Ordinatiove* consistat.

Secus de potestate Regiminis, cujus munera possunt ab ordine sejungi.

Alia vero ratio est potestatis ejus, quæ Jurisdictionis dicitur, seu Regiminis, cujus nempe munera possunt ab Episcopatu sejungi, ut si quis Episcopus ea uti velit, cui ejus utendæ legitima facultas desit, is non prave modo, sed & nihil prorsus agat. Discrimen ex eo petendum, quod Sacramenta, tametsi hominum ministerio peragantur, vim tamen efficiendi habent a Deo, qui fit, ut si qui Ordinis potestate pollet, cetera adhibeat, quibus Sacramenta illa constant, nihil jam impressam a Deo efficientiam cohibere valeat. Secus, quod attinet ad Regimen. Nam etsi Episcopatus ad Ecclesiæ Regimen sit a Christo institutus, non ex eo fit, ut quisquis Episcopalem ordinationem susceperit, hoc ipso regendi munus explicare valeat. Quid enim si hæreticus ab hæretico in Episcopum ordinetur, vel schismaticus a schismatico? Quid si Catholicus etiam, quod & factum quandoque accepimus, sic ordinetur, ut nulli Ecclesiæ præficiatur? Quid? Si

pulsus e Sede sua Episcopus in alienam Diœcesim immigraverit, num jure suo in ea regendi officium assumet? Quibus plane liquet potestati Ordinis non ita cohærere facultatem regiminis, ut sejungi ab ea nequeat. Cujus rei summa hæc est, quod Ordinis potestas, per se se constare potest, velut absolutum quiddam, & perfectum, nec aliud requirit præter subjectam materiam aptam Sacramento, in qua vim suam exserat. Contra regiminis facultas, ut & omnis præfectura in eorum genere est, quæ referuntur, se seque habent ad aliud, quid extrinsecum, quod nisi adsit, nec illa esse, aut intelligi possunt, velut nec Pater esse aut intelligi potest, cui non sit Filius; aut Dominus, qui Servum, aut Patronus Clientem qui non habeat. Porro quemadmodum superioribus exemplis patet, non id præstat simplex Episcopalis Ordinatio, ut qui eam susceperit, hoc ipso plebem sibi obnoxiam habeat, quæ jussa ejus excipere, ipsumque velut Pastorem suum, Rectoremque agnoscere teneatur, sed præterea necesse omnino est, ut ad Episcopalem Ordinationem legitima Vocatio, ac Missio accedat, qua plebs ei assignetur, ut ejus gubernandæ munus obire legitime valeat.

Atque certum hoc adeo est, exploratumque, ut nec illi dissentiant, quibus placet jurisdictio- Idque a eorum etiam sententia,

qui Episcoporum potestatem jurisdictionis effectu, seu immediate a Deo repetunt. nis non minus quam Ordinis Episcopalem potestatem immediate a Deo repetere, quod maturé admonendum censui, ne quid hæsitationis propter eam quæstionem suboriatur, quam nec opus, nec propositum est nobis hoc loco ulla ex parte attingere.

Ex Thomassino suum Episcopo cuique territorium non divino, sed humano jure attributum, idque consentiente Capite. Sic Thomassinus (De vet. & nov. Eccl. Discipl. Part. II, l. 1, c. 45, n. 3.)· „ Non alia „ utriusque Pontificis (Leonis I, & Innocentii III) „ mens est, quam necesse esse, ut Episcopi Ca„ piti suo consentiant in Ecclesiæ suæ admini„ stratione, & quæ sit Ecclesiæ in varias Diœ„ ceses partitio, ea assentiente fiat Pontifice, „ qui Superior imminet, præsidetque omnibus „ Diœcesibus. “ Tum subjungit: „ Nam Episco„ pi obtinent illi quidem immediate a Christo „ jurisdictionem suam, sed non ab illo imme„ diate consecuti sunt territorium hoc suum, „ & peculiarem Diœcesim: Cum hæc partitio „ facta fuerit volventibus sæculis ab Ecclesia, nec „ fieri potuerit, aut perpetuari, nisi consensio„ ne Capitis, in quo est Cardo, & Centrum „ Ecclesiasticæ Unitatis. “

Congruens Juvenini sententia. Sic Juveninus (*De Sacram.* Dissert. IX. *De Ordin. in specie* q. I, c. I, art. 3, ad objec. I.) „ Electio facta a Capitulo, aut aliis ad quos de „ jure, aut consuetudine spectat, institutio per

„ Bullas Pontificias sunt conditiones requisitæ, „ ut Christus jurisdictionem Episcopis impertiatur. " Et ad object. 3: „ Diœceseon, quibus „ (Episcopi) præsunt, aut amplitudo, aut coarctatio humani est juris, quod quidem, ubi saluti populorum expedierit, vicissitudini obnoxium est. "

Natalis Alexander (Dissert. IV in sæcul. I, §. 4 ad Object. 3.) „ Episcopi sunt Successores „ Apostolorum seclusa plenitudine potestatis, „ Con. cum potestatis plenitudine, Neg. Duplex „ enim vero in Apostolis spectanda potestas est: „ una cum tota plenitudine; ratione Apostola„ tus, & ea quidem ordinaria in Petro, ad cu„ jus proinde Successores tota transmissa sit: „ extraordinaria vero in Apostolis, a quibus „ proinde in Successores integra non transierit: „ altera Episcopalis secluso Apostolatu, & sine „ plenitudine potestatis, quæ in Episcopos omnes „ transfusa est. "

Ex Natali Alexandro plenitudinem potestatis ordinariam in uno Petro, in reliquis Apostolis extraordinariam fuisse. in hac Episcopos Apostolis non succedere, in illa solum Romanum Pontificem Petri successorem esse.

Tum distinctionis fundamento in Scripturis, & Patribus patefacto, sequitur: „ Itaque Patres „ supra laudati non existimarunt, Episcopos in„ star Apostolorum potestatem in Ecclesiam uni„ versalem accepisse; sed ad definitas singularium „ Provinciarum Sedes eam potestatem, quam ab „ Apostolis accepissent, coarctarunt.... Conce-

„ do igitur quod Apostolorum Successores sint
„ Episcopi, quod Apostolicæ potestatis hæredes
„ censeri debeant, sed potestatem illam nego
„ æque extensam in Episcopis, ac in Apostolis.
„ Illorum enim auctoritas nullis erat Sedibus de-
„ finita, nullis Provinciis circumscripta: At Epi-
„ scoporum potestas intra Diœceseon suarum can-
„ cellos cohibetur. Usu namque etiam ab Eccle-
„ siæ incunabulis receptum est, ut certis Eccle-
„ siis singuli Episcopi præficiantur, ut patet ex
„ Apostolo *Epist. ad Titum c. 1. Hujus rei*
„ *gratia* (inquit) *reliqui te Cretæ, ut ea,*
„ *quæ desunt, corrigas, & constituas per Ci-*
„ *vitates Presbyteros, sicut & ego disposui*
„ *tibi*. Ex his enim verbis constat Episcopos
„ Apostolorum Successores uni loco addictos fuis-
„ se, cujus limitibus eorum potestas coarctare-
„ tur. Propterea consuetudo Ecclesiæ ab Apo-
„ stolicis temporibus obtinuit, ut Metropolitæ,
„ & Patriarchæ ipsi certas haberent constitutas
„ Provincias, aut Diœceses, quas regerent, ne-
„ que ipsis ullum jus in alienis Diœcesibus com-
„ petebat. Hac Ecclesiæ praxi nitebatur Sanctus
„ Hieronymus . . . . . Hinc Concilium Nicænum
„ inhibuit, Can. 15: *Ne Episcopus a Civitate*
„ *in Civitatem transiret*. Porro qua ratione po-
„ tuit Concilium Nicænum uni loco Episcopum

„ addicere, cui auctoritate Divina in omnes Ec-
„ clesias, citra ullam exceptionem, aut limita-
„ tionem jus concessum esset? Episcoporum igi-
„ tur potestas ad omnes omnino Ecclesias non
„ se porrigit, adeoque Apostolis in plenitudine
„ potestatis successisse dici non possunt. "

Et deinceps: „ Episcopos vocari passim a Sanctis
„ Patribus Petri Successores, indirectæ, ac col-
„ lateralis, ut ita loquar, successionis jure,
„ quia scilicet unus Petrus Ecclesiastici Ordinis
„ quodam modo fons est, & origo, nec non
„ potestatis in omnes Episcopos derivatæ. At
„ directæ successionis jure unus Pontifex Roma-
„ nus Successor est, & Hæres Petri. At enim
„ cum Apostoli fere omnes suas Sedes non ha-
„ buerint, Episcopi Apostolorum Successores di-
„ ci non possunt, nisi in genere, ut loquuntur
„ Theologi nostri Polemici, idest dici non pos-
„ sunt speciatim Successores Andreæ, vel Phi-
„ lippi, quorum auctoritas cum extraordinaria
„ esset, cum ipsis interiit. Verum jure merito
„ dici possunt Petri Successores, quia unus Pe-
„ trus auctoritatem habuit ordinariam, cui suc-
„ cederetur, & ad quam omnium Prælatorum
„ auctoritas ordinem diceret, ut ad principalem
„ ac fontalem. Omnes itaque Episcopi Successo-
„ res Petri dici possunt in auctoritate, at non

„ in gradu auctoritatis: sive Successores sunt „ Sancti Petri in Episcopatu, non in Primatu."

Et adhuc: „ Omnes igitur Episcopi auctoritatem a Deo suam immediate accipiunt, sed „ cum ordine aliquo, & respectu ad Romanum „ Pontificem, quatenus auctoritatem illam, nisi „ in ipsius communione exercere legitime non „ possunt."

Itaque vel ipsi qui Episcoporum potestatem jurisdictionis proxime repetunt a Deo, nihilominus consentiunt conditionem prærequiri legitimæ Vocationis, Electionis, Institutionis, ut ea concedatur; eam propterea non haberi, aut explicari non posse, nisi assignata portione gregis, in quam exerceatur: assignationem porro istam non Divino, sed humano jure fieri; adeo ut portio cuilibet Antistiti assignata, prout opus fuerit, Ecclesiastica ordinatione ampliari, aut coerceri valeat. Quo uno patet jam quanto intervallo in hac regiminis potestate Romanus Apostolatus cuilibet Episcopatui antecellat: nam Romanus Pontifex statim atque in Petri locum succedit, eam jure Divino potestatem accipit omnem, quam Christus Petro in universum ovile contulit, quæ potestas Catholicam Ecclesiam quacumque patet complectitur, quæ nullis definita locorum spatiis Christi oves ubicumque attin-

git, cui portio ulla gregis nulla humana potestate subtrahi queat. Consentit ille quisquis Auctor est *Defens. Cler. Gall.* Part. III, lib. 10, c. 5: „ Hæc ergo Ecclesia ex avita, atque Apostolica Traditione, eo jure, ea dignitate est, ut quemcumque sibi, eundem etiam Ecclesiæ universæ Ducem, Pastoremque eligat. "

Atque hinc etiam patet, quam infirma sint argumenta duo præcipua, in quibus potissimum causæ suæ præsidium constituere videntur Adversarii: unum ex eo petitum, quod veteri more, & instituto, simul fere cum ordinatione traderetur potestas regiminis in subjectam plebem, ex quo concludant istam ex illa sponte, ac velut vi sua manare. Verum minus considerate, quippe & istud attendere oportebat veteri eo more, & instituto diversas, ac plane distinctas jurisdictiones comprehensas fuisse, quas illi perperam confundunt. Cum enim ageretur de Pastore certo gregi præficiendo, electionem primum ab illis fieri opus erat, quibus id juris esset, hanc excipiebat confirmatio, qua impetrata ordinationis munus ei conferebatur, qui designatæ plebi regendæ antecedenti electione, & confirmatione vocatus, præfectusque fuerat. Quas actiones, etsi sæpe contingeret brevi temporis intervallo compleri, ac perfici, manifestum est nihilominus

Veteri quoque more non ex simplici ordinatione, sed ex conjuncta vocatione, & missione suam cuique Antistitel plebem assignatam, quam regere.

& natura distinctas, & sua unamquamque vi propria præditam fuisse. Non ergo ex sola simplici ordinatione seorsum spectata facultas manabat regiminis in subjectam plebem, sed quatenus antecedente legitima electione, & confirmatione suus regendæ Plebi legitimus Pastor præficiebatur. Innumeris propterea Canonibus cautum videmus, ne qui contra statutas regulas ordinatus esset, Episcopale Ministerium attingere, aut omnino tanquam Episcopus gerere se auderet. Sic magna Nicæna Synodus Can. 6: „ Illud autem „ generaliter clarum est, quod si quis præter „ sententiam Metropolitani fuerit factus Episco„ pus, hunc magna Synodus definivit Episcopum „ esse non oportere. " Et Synodus Constantinopolitana I, Can. 3, de Maximo, quem Afri Episcopi præter statutas regulas Episcopum ordinaverant: „ Placuit, inquiunt Patres, neque „ Maximum Episcopum esse, vel fuisse, nec „ eos qui ab ipso in quolibet gradu sunt ordi„ nati, cum omnia, quæ ab eodem perpetrata „ sunt, in irritum deducta esse videantur. " Perspicuum porro est sic per Canones irritam declarari ordinationem præter statuta peractam, non quod suscepta semel Ordinis potestas auferri posse censeretur, sed quod talis ordinatio non eam conferre valeret regiminis facultatem, quæ

Legitimæ missionis necessitas ex Concilio Nicæno tum & Constantinopolitano I.

gregis assignationem prærequirit, vi cujus legitima vocatione ac missione assignatæ sibi plebi regendæ Antistes præficiatur.

Nec minus infirmum est caput alterum, quo contendunt Episcopatum sic fuisse a Christo institutum, ut ab initio cuilibet Episcopo jus, fasque esset Episcopalem potestatem Orbe toto, quacumque vellet, atque cum tota auctoritatis plenitudine exercere. Qua in re peccant multis modis: I Quod Commentitium istiusmodi obtrudunt Episcopalis auctoritatis usum, quem probare nequeunt ullo unquam tempore in Ecclesia invaluisse, immo qui vel solo Epistolæ Paulli ad Titum testimonio refellitur, quod a Natali Alexandro depromptum paullo ante retulimus. Fuere quidem aliquando Episcopi, qui dicebantur Episcopi gentium, qui nulli peculiari sedi addicti ad prædicandum Infidelibus Evangelium mittebantur, ea lege, ut earum regionum pastoralem curam susciperent, quas in gregem adduxissent, quorum auctoritatem regiminis manifestum est non ex sola Episcopali ordinatione manasse, sed ex missione, quam hierarchica vocatione acceperant. II Quod si, ut optime animadvertit Natalis Alexander, ex Episcopatus institutione a Christo facta, atque adeo divino instituto id juris tributum fuisset singulis Episcopis, ut per uni-

Inane Commentum potuisse singulos Episcopos, vi primæ institutionis pastorale regimen, cum plena potestate ubicumque exercere.

versam Ecclesiam plenam regiminis potestatem explicare quisque valeret, qua unquam ratione Ecclesia deinceps tributam a Christo potestatem coercere, certisque limitibus circumscribere potuisset? III Sed in hoc mire isti falluntur, quod singulis Episcopis id tributum velint, quod Episcopali universe Ordini est a Christo attributum, sapientissima ea hierarchica ordinatione, quam a Leone Magno inter alios luculentissime descriptam accepimus, cum aliis locis tum Epist. 14 ad Anastasium Thessalonicensem apud Baller. col. 632, e qua paullo inferius pauca quædam in medium proferemus. IV Demum & istud mirabile videri debet adversarios singulis Episcopis ab initio eam potestatis plenitudinem tributam contendere, quam eos piget adeo in Romano Pontifice agnoscere, quem tamen constat Christum Ecclesiæ universæ præfecisse. Frustra igitur laborant, qui ex antiquitatis memoria patrocinium student arcessere suarum novitatum.

Nisi Plenitudine potestatis Petrum cæteris omnibus præstitisse nulla unquam potuisset in Ecclesia hierarchica hie-

Sed ex ipsa remotiori antiquitate solidior quædam suboritur consideratio, quam & ipse Thomassinus opportune attigit, qua nimirum planum efficitur, nisi præcellentioris auctoritatis plenitudo in Petro extitisset ad Successores proroganda, fieri nunquam potuisse, ut inter Episcopos alter alteri, non honoris tantum, sed & auctoritatis gra-

grado præesset. Clamant scilicet Adversarii Episcopos Apostolorum Successores esse, idque prout a Natali Alexandro expositum est, ultro libentissimique concedimus. At remoto Petro pares certe, planeque æquales ceteri fuere Apostoli, nec unus, aut plures etiam prærogativam ullam sibi assumere, aut vindicare poterant, vi cujus alterum quempiam obstrictum sibi, aut ullo gradu inferiorem haberent. Igitur & Episcopi, quatenus Apostolorum Successores, vi Episcopalis ordinationis, quam æqualem omnes perinde suscipiunt, in pari æqualitatis gradu constituuntur; unus, parque in omnibus Episcopatus, ut nil plus juris uni quam alteri Episcopalis ordinatio tribuere valeat. Unde ergo gradum distinctio, vi cujus, prout ab Ecclesiæ primordiis factum est, unus Episcopus pluribus aliis Episcopis quocumque tandem nomine præsideret? Non a jure Divino: Quippe Ordo Episcopatus, ut ipsimet sentiunt, unus est, & par in omnibus. Non ab universali Concilio, quippe longe jam ante invaluerat ea distinctio, quam de cogendo universali Concilio cogitaretur. Non a Provincialibus Synodis, quippe Provinciarum distinctionem antecedere debuit ipsa graduum distinctio, qua unus in definita quadam regione ceteris ejusdem Provinciæ Episcopis præesset. Non ex pacto con-

Hierarchia graduum inter Episcopos distinctio, qua Sedes aliæ aliis auctoritate præstarent.

vento inter nonnullos Episcopos; quibus commodum visum esset hanc Hierarchiæ formam instituere, nam nec isti minuere poterant, aut alteri subjicere auctoritatem sibi divinitus tributam, nec præter Divinum institutum alterius cujusvis auctoritatem amplificare; aliunde nec Successoribus eam legem præscribere potuissent, cui se ipsi sua voluntate subjecisseat. Sed jam redeat providum in fundanda Ecclesia Divinæ Sapientiæ consilium, omnis evanescit obscuritas, atque aperta se prodit quæsitæ distinctionis origo. Christus videlicet cum uno instituendo Episcopatu pares potestate Ordinis Episcopos omnes esse voluit, unum tamen velut Supremum Caput in potestate regiminis ceteris omnibus prætulit. Hinc facile intelligitur, quemadmodum ex hoc Apostolicæ Cathedræ principatu, tanquam primario fonte, superioris hujusce auctoritatis jura, Pontificio instituto in alias Sedes cum temperata discretione potestatis manaverint, factumque sit, ut hac inducta graduum inter Antistites aptissima distributione, Ecclesiastica Hierarchia ordinatissimam castrorum spiritalium formam, speciemque præ se ferret.

Ab Apostolica Sede primarum Sedium ori- Atque hujusce quidem originis primordia exploratissimo facto ab Apostolicis temporibus comprobata cernuntur. Nam cum ceteri Apostoli

plurimas per Orbem universum Ecclesias fundaverint, tres tamen ab initio extitere, nec plures, quæ præcellentiori ea auctoritate pollerent, quam subinde Patriarchalem dixere: Romana, cui præter Ecclesiæ universæ Primatum, qui Petro Divino jure cohærebat, Petrus specialem curam adjunxit totius Occidentis: Alexandrina, quam ille per Marcum fundavit, cujus Antistes toti Ægypto, Libyæ, ac Pentapoli: Antiochena, quæ quindecim Orientis Provinciis præerat. „ Ostentant quidem (inquit Thomassinus P. I, l. I, „ c. 14, n. 1.) non paucæ (Ecclesiæ) Fundatores „ Apostolos: At unius Petri administratio, quas „ illustravit Ecclesias, eas gradu honoris, & po„ testatis præ ceteris conspicue decoravit. " Et l. I, c. 7, n. 7: „ Si seponatur contemplatio „ nominum, & ipsa spectetur auctoritas, cer„ tissimum est singularem prorsus ab ipsis usque „ Ecclesiæ primordiis, & præcellentissimam fuis„ se Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ „ Ecclesiæ potestatem, ut quæ in eas profecta „ sit a Petri Principatu, qui eas & instituerat, „ & præsentia sua cohonestaverat, in easque „ effuderat eam plenitudinem, vel plenitudinis „ Apostolicæ plenissimam participationem, qua „ illum dotaverat Christus. " Jam vero compertum est, quam ampla fuerit Sedium istarum,

go, quæ postmodum Patriarchales dictæ sunt, ac subinde Metropolitanarum, aliisve titulis insignium.

Alexandrinæ nimirum, & Antiochenæ a Petro derivata potestas. Nullus initio, ut ex eodem Thomassino habetur, alius erat in eorum tractu Metropolitanus, quam in Romano Romanus, in Alexandrino Alexandrinus, in Antiocheno Antiochenus: singulosque in Patriarchatu suo quisque ordinabat Episcopos. Facti deinde Metropolitanos cunctos Græci Patriarchæ primum ordinaverunt: Episcopos vero præsertim remotiores iis dimiserunt ordinandos, sic tamen ut nonnisi permittentibus ipsis fieret ordinatio. Harum porro Sedium præcellentem auctoritatem non ex earum Urbium splendore, cultuve regio, non ex opibus, aliisve hujus generis copiis, & ornamentis fluxisse, sed ad unum Petrum referendam esse, communi voce tradidere antiqui Patres Græci, ac Latini, quorum testimonia multa, quod & alii fecere, Thomassinus collegit, quibus prolatis hæc subjungit, quæ ad uberiorem confirmationem describenda censuimus l. 1, c. 14, n. 4. „ Consentientis ea de re Occidentalis Ecclesiæ, maxime Gallicanæ, Fidejussor, Auctorque idoneus erit Hincmarus, dum ait privilegio Petri supra ceteros Apostolos evecti, contineri Patriarcharum, Primatuum, & Metropolitanorum omnium privilegia. Hæc enim omnia in eo uno sita sunt, quod præsint Episcopi alii

Congruens Hincmari sententia.

„ aliis. At Christus Apostolis solum Petrum
„ præesse jussit. Hinc ergo perspicue illud ef-
„ ficitur, quæcumque Episcoporum supra alios
„ Episcopos præcellentias, ceu radios a Sole lu-
„ minis fonte ab hac prærogativa manasse. "

Et n. 5: „ Nec tamen inde sequitur, ut E-
„ piscopos, ita & Patriarchas jure niti Divino
„ immediate: propterea quod Episcopatum Chri-
„ stus non in solo Petro fundaverit, sed in ce-
„ teris etiam Apostolis.... At primatus in A-
„ postolos, hoc est in Episcopos, uni seorsim
„ Petro collatus a Christo est, ejusque successo-
„ ribus. Hanc ergo Petri potestatem divinitus
„ institutam, necesse est iis omnibus aut imi-
„ tandam, aut participandam proponi, qui juris
„ aliquid, & potestatis in Episcopos assequen-
„ tur.... "

Et n. 6: „ Prolixius de his alibi Hincmarus
„ disseruit, ubi docet complurium Ecclesiarum
„ ortum ab aliis Apostolis repeti debere, qui
„ suas ibi defixere Sedes, ut Jacobus Hierosoly-
„ mæ, Joannes Ephesi, cui & Timotheus Suc-
„ cessor datus, sed Patriarchali culmine eas de-
„ mum insignitas fuisse Ecclesias, quæ Petri
„ Sede decoratæ fuerunt. Ut enim Petro uni
„ collata divinitus erat potestas in Apostolos:
„ ita ab illo uno propagari potestas illa potuit,

„ qua Episcopia praesiderent, & jus dicerent „ Episcopi, non aliud ab aliis Apostolis nacti, „ quam potestatem eam, qua regendis populis „ imminebant." Cujus tamen exercendae facultatem a legitima vocatione, & missione pendere supra demonstratum est, quae missio cum praestantiam auctoritatis in mittente requirat, nulla autem sit in Episcopatu auctoritatis distinctio, quae non ex Primatu Petri fluere debuerit, consequens est, ut & haec plebis regendae facultas nonnisi a potestate Petri, aut ab his, quibus aliquid hujusmodi juris inde communicatum fuerit, repeti valeat.

Potestatis communicatio a Romana in alias Sedes Tertulliani, Optati, Leonis Magni testimoniis comprobata.

Hanc a prima in alias Sedes potestatis communicationem paucis quidem, at valde significantibus verbis Tertullianus commendasse videtur, Scorp. c. 10: „ Memento claves ejus hic Domi„ num Petro, & per eum Ecclesiae reliquisse." Agebatur de reconciliatione per poenitentiam obtinenda, quam Sacerdos, aut Episcopus nonnisi subjectis impertiri potest, subjectos vero facit legitima missio, de qua supra, quae sine participatione aliqua supremae potestatis ex capite manantis haberi nequit. Tum & Sanctus Optatus Milevitanus l. 7 cont. Parm. c. 3: „ Beatum Pe„ trum, inquiens, Claves Regni Coelorum com„ municandas ceteris solum accepisse." Leo

Magnus [a] prædicans Christum per Petrum dedisse quidquid aliis non negavit. Eodem spectant quæ & Socrates nullo refragante, & alii professi sunt, omni robore carere Concilia, Romano Pontifici non probata, quod & ipsæ Synodi universales facto ipso comprobant, dum & ea quæ de ipsa disciplina decernunt, petunt confirmari a Pontifice. Quæ vetustatis documenta, si quis contemnenda putet, non ille antiquitati suam auctoritatem detrahet, qua nihil sanctius, sed præposterum suum prodet novandi studium, quo nil religioni infestius.

In hac itaque quæstione de plenitudine potestatis Episcoporum, cavendum omnino, ne potestas Ordinis perperam confundatur cum potestate regiminis. De potestate Ordinis dubium esse nequit, quin tota ejus plenitudo Episcopatu contineatur: quippe in Sacramentali ordinatione nullus gradus altior Episcopatu: Eaque vis est hujus potestatis, ut nec augeri, nec minui, nec auferi ullo pacto valeat. Quod si Episcopo legitima auctoritate interdictum sit ne illa utatur, impie quidem iste agat ea utendo; verum si utetur, ut supra jam notatum est, impediri non

(a) Serm. 3 *De Assumpt.*

potest, quin efficacitatem obtineat, quæ propria est ejus potestatis.

Episcopali jurisdictioni explicandæ necessaria I. plebis assignatio; Hæc sine legitima vocatione, & missione, aut extra Sedis Apostolicæ communionem nequit esse legitima.

Longe alia ratio est potestatis regiminis. I. Ad hanc explicandam potestatem, præter ordinationem, necessaria est subjectæ plebis assignatio, quæ fit non Divino, sed humano jure.

II. Hujusce porro assignationis via, & ratio, & si diversis locis, ac temporibus pro varietate disciplinæ varia quandoque fuerit, nulla tamen legitima esse potuit, quæ Sedi Apostolicæ probata non sit, ex cujus consensione pro plenitudine potestatis per universam Ecclesiam se se fundentis vim roburque acceperit. Qua de re hæc duo imprimis ob oculos habenda Catholica Dogmata expresse ab Œcumenica Tridentina Synodo definita [a]. I. „ Si quis dixerit ... eos, qui nec „ ab Ecclesiastica, & Canonica potestate rite „ ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, „ legitimos esse Verbi, & Sacramentorum Mi„ nistros; Anathema sit; " & Can. 8; „ Si quis „ dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani „ Pontificis assumuntur, non esse legitimos, & „ veros Episcopos, sed figmentum humanum; „ Anathema sit. " Ut proinde ex una parte certum sit „ eos (prout aperte quoque decernit

(a) Sess. 23, cap. 7.

„ ipsa Synodus cap. 4.) qui tantummodo a popu-
„ lo, aut Seculari Potestate, ac Magistratu vo-
„ cati, & instituti ad hæc (Ecclesiastica) Mi-
„ nisteria exercenda ascendunt, & qui ea pro-
„ pria temeritate sibi sumunt, omnes non Ec-
„ clesiæ Ministros, sed fures, & latrones per
„ ostium non ingressos, habendos esse; „ ex
alia parte, certam hanc esse auctoritatis præstan-
tiam in Romano Pontifice, ut qui ab illo Epi-
scopi assumuntur, legitimi, ac veri Episcopi &
haberi debeant, & sint. Ut in ea generali de-
finitione Concilii, nullis aut loci, aut temporis
limitibus circumscripta splendidum eluceat argu-
mentum præstantissimæ potestatis, qua in assu-
mendis Episcopis Romanum Pontificem pollere
Tridentina Synodus agnovit, Decretoque Dog-
matico firmavit. Hinc & doctissimus Hallier
(*De sacris Elect.* &c. P. III, l. I, Sess. 5, c. 4,
§. I, n. 18.) „ Certe, inquit, non dubitant Ca-
„ tholici, quin juxta definitionem Tridentini,
„ Episcopi, *qui auctoritate Romani Pontificis*
„ *assumuntur, sint veri, & legitimi Episcopi.*
„ Norunt a Sede Petri Episcopatus originem
„ ad nos dimanasse: Sciunt Metropolitanorum
„ auctoritatem ab ipsa Pontificia promanare; "
& art. 3, §. 6, n. 45: „ Certum est Roma-
„ num Pontificem summam habere potestatem, ut

„ per totum Christianum Orbem Episcopos constituat. “ Multisque prolatis documentis concludit n. 55: „ Ex quibus, Summis Pontificibus „ competere colligimus Episcoporum, ubique „ terrarum creandorum curam, & potestatem, „ qua si aliquando usi non fuerint, moderationi „ eorum ac prudentiæ tribuendum, ut pote qui „ melius, ac commodius per alios a se constitu- „ tos, Patriarchas, Primates, Metropolitanos or- „ dinationem, aut delectum fieri posse censuerint „ quam per se ipsos “.

Plenitudini potestatis regiminis in legitimis etiam Episcopis obstat I divinitus impositum obedientiæ debitum erga Sedem Apostolicam.

III. Facta legitima plebis assignatione, non tamen sic ei Episcopus præficitur, ut in ea regenda plenitudinem exercere valeat potestatis regiminis. 1 Etenim Dogma Catholicum est, Episcopo cuilibet præesse Romanum Pontificem non gradu tantum honoris, sed & potestate regiminis, cui propterea Episcopus ipse veram obedientiam spondet, ac jurat ex professione Fidei a Pio IV edita, & universalis Ecclesiæ usu, & consensu comprobata. Nec id mirum iis videri debet, qui præ ceteris antiquitatis cultores existimari volunt; quippe notum est, qua fide, ac religione Antistites olim suo cuique Patriarchæ, vel Primati parerent. Quo spectat etiam Canon Apostolicus 33 Gentiano Herveto interprete, „ Episcopos uniuscujusque gentis nosse oportet

„ eum, qui in eis est primus, & existimare ut „ Caput: & nihil facere, quod sit arduum, aut „ magni momenti præter illius sententiam ".

2. Obstrictus tenetur Episcopus quilibet in plebe sua regenda legibus universalis Ecclesiæ, quæ nimirum Synodorum generalium Decretis a Pontifice probatis, aut Pontificiis Constitutionibus continentur. Sane nec Adversarii profiteri palam audebunt, aut generalibus Synodis defuisse auctoritatem, qua plebis regendæ modum, ac formam Episcopis præscriberent, aut Episcopos legibus non adstringi, quæ sint ipsis legitima auctoritate impositæ.

Deinde quod obstricti teneantur Episcopi legibus Conciliorum universalium in tota Ecclesia, particularium in sua quisque Provincia, quibus, nisi ubi sit potestas, nec alios, nec se ipsos solvere posse constat ex adjecta sanctione pœnarum.

3. Nec Synodorum tantum generalium, sed & provincialium Decretis tota antiquitas Episcoporum in suis gubernandis Ecclesiis auctoritatem devinxit. Innumeri Canones hanc in rem depromi possent ex Conciliis Orientalibus, Africanis, Gallicanis &c., quibus ad præscriptam plerisque in rebus gubernandi rationem, ac formam Episcopi adstringuntur, pœna plerumque gravissima in eos sancita, qui niti contra auderent. Quo intelligitur nullam ipsis facultatem relictam, (nisi ubi exceptum esset) qua se aliosve præscriptis legibus solvere valerent.

Atque hoc quidem ex vetustiore disciplina prodiisse probant Apostolici Canones, quibus

Hierarchicæ hujus politiæ vetustatem pro-

bant Canone: Apostolici.

multa præscribuntur ad regimeu Ecclesiarom spectantia, quæ nemini Episcopo fas esset negligere. Paucos juverit exempli gratia protulisse. Can. 3: „ Si quis Episcopus, aut Presbyter, præ„ ter ordinationem Domini, alia quædam in Sa„ crificio offerat super Altare, idest aut mel, „ aut lac ... deponatur". Can. 8: „ Vetatur Epi„ scopus ne Sanctum Paschæ diem ante vernale „ æquinoctium celebret ". Can. 9: „ Si facta „ oblatione non communicaverit, aut causam „ dicat, veniam consecuturus, si justa fuerit, „ aut secus communione privetur ". Can. 45: „ Vetatur cum hæreticis orare". Can. 49, & 50: „ In Baptismi ritu innovare ". Can. 14: „ Ne „ alienam Parochiam pervadat licet cogatur a „ plurimis ". Can. 31: „ Ne Secularibus Pote„ statibus usus Ecclesiam per ipsas obtineat ". Can. 36: „ Ne audeat extra terminos proprios „ ordinationes facere ". Can. 15: „ Ne cuiquam „ de Clero præter Episcopi sui sententiam liceat „ in aliena Parochia commorari, aut ministrare ". Can. 16: „ Episcopus vero, apud quem tales „ moratos esse constiterit, si decretam contra „ eos cessationem pro nihilo reputans tanquam „ Clericos forte susceperit, velut *Magister in„ quietudinis* communione privetur ". Facile inde colligere quisque valeat, quam sancte, quam

penitus priscis illis Patribus ab ortu ipso sacri regiminis persuasum fuerit, nulli Episcopo fas esse, superiori auctoritate constitutam ævi sui disciplinam pervertere, aut arduum quidquam aggredi præter ejus sententiam, quem colere debet ut Caput: Qui contra nitantur, ut *Magistros inquietudinis* notandos esse, quin & severioribus pœnis pro rei gravitate coercendos: quo minus mirum videri debet, Augustinum acriter adeo (Epist. 54.) de illis esse conquestum, qui disputare ingrediuntur adversus ea, quæ universa frequentat Ecclesia.

Notandus etiam Can. 110: „ Presbyteri, & „ Diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent. Nam Domini Populus ipsi commissus „ est ". Quo admonetur Episcopus, quid sibi, quid Presbyteris suis, salva hierarchica ordinatione, suique Pastoralis juris, ac officii ratione, servari, concedive oporteat.

His proxime succedunt antiquæ, magnæque auctoritatis Synodi, Neocæsariensis vetans Can. 11: *Ne Presbyter ante trigesimum ætatis suæ annum ullatenus ordinetur, licet valde sit dignus*, quo temporis præstituti prævenierdi facultas nulla Episcopi arbitrio, judicio relinquitur: Gangrensis decernens Can. 19: *Non licere communia jejunia solvere*; quo sane & Episcopi ipsi Continuationem veterer Synodi.

comprehenduntur: Laodicena multis canonibus minutatim persequens, ac præscribens, quæ ad divini cultus peragendi rationem pertinent, scilicet Can. 15 de his, qui debeant in ambone psallere, Can. 16 de lectionibus Sabbati, Can. 17 de interstitio psalmorum in Sabbatis, Can. 18 de precibus nona & vespera celebrandis, Can. 19 de precibus post homilias, Can. 22 de Orario Subdiaconis non utendo. Tum de his, quæ speciatim servari debent in Quadragesima, Can. 45 quoad baptizandos, Can. 49 quoad oblationes offerendas, Can. 50 quoad solvendum jejunium, Can. 51 quoad celebranda Natalitia martyrum, Can. porro 58 *quod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis vel Presbyteris*. Notandus pariter Can. 13 „: Quod „ non sit permittendum turbis Electiones eorum „ facere, qui sunt ad Sacerdotium provehendi". Concilium Carthaginense I sub Crato, tempore Julii Papæ an. 348 probatum a Leone IV, Can. 3, ne Sanctimoniales *in una domo cum extraneis penitus commorari debeant*.

Concilio Carthag. IV, cui subscripsit Augustinus, Gentilium libroram lectio Epi.

Longe plura celebre Carthaginense IV sub Aurelio, cui & subscripsit Augustinus: præscribuntur in omni administrationis ratione ab Episcopis omnino servanda (præter alias impositas leges) Can. 11 de Sanctimonialium habitu, Can.

14 „ Ut Episcopus non longe ab Ecclesia hospitiolum habeat “. Can. 17 „ Ut Episcopus gubernationem Viduarum, & Pupillorum, ac Peregrinorum non per se ipsum, sed per Archipresbyterum, aut per Archidiaconum agat “. Can. 20 „ Ut Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet “. Can. 22 „ Ut Episcopus sine Consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ita ut Civiam conniventiam, & testimonium quærat “. Can. 23 „ Ut Episcopus nullius causam audiat absque præsentia Clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum præsentia confirmetur “. Can. 16 „ Ut Episcopus Gentilium libros non legat, hæreticorum autem pro necessitate, & tempore “.

Scopus interdicta: Hæreticorum pro necessitate tantum permissa

Quibus, aliisque quamplurimis, ac notissimis consequentium omnium ætatum Synodorum Decretis liquido constat, quam toti antiquitati persuasum fuerit, hac Synodos pollere potestate, ut subjectis Episcopis regulas præscribant, quas in Ecclesiarum suarum gubernatione servare omnino teneantur. Quod si nefas Episcopo jussa præterire Synodi suæ Provincialis, quanto minus ei licitum fuerit ab ea disciplinæ ratione discedere, quæ jure communi quavis ætate vigente constituta fuerit?

Quantum porro pateret vis potestatis, qua in subjectos Episcopos Synodi Provinciales pollerent, facile intelligitur ex laudato Canone 16 Carthaginensis Concilii, quo Episcopis ipsis interdicendam censuere Patres lectionem librorum Gentilium.

Prohibendorum ubicumque librorum auctoritatem penes Apostolicam Sedem ex Gregorio Magno vare Maurinis.

Nec vero prætereundum hoc loco illustre monumentum ex remotiori etiam memoria petitum potestatis ejus, qua noxiis prohibendis libris Apostolica Sedes Orbe toto utebatur. Id suppeditat, ut prudenter animadverterunt Maurini Editores, Epistola Gregorii Magni (66, l. 6.) ad Athanasium Presbyterum. Confugerat is ad Romanam Sedem, ut purgaret se suspicione, qua laborabat hæreticæ pravitatis. Gregorius veritus, ne quid subesset fraudis, interpellandum censuit proprium illius Episcopum; Johannem Constantinopolitanum, qui se commotum rescripsit adversus Presbyterum, quod apud eum Codex inventus esset hæretica labe contaminatus, & Codicem ipsum Gregorio misit recognoscendum, „ quem, quia (inquit Pontifex) ad nos studote „ pro satisfactione transmittere; priores ejus „ partes sollicita lectione percurrimus. Et quo- „ niam manifesta in eo hæreticæ pravitatis ve- „ nena reperimus, ne denuo debuisset legi, ve- „ tuimus ".

Quem

Quem in locum Maurini: „ Agnosce, inquiunt, antiquam in Romanis Pontificibus libros aliquos prohibendi potestatem, & consuetudinem, cui parere tenebantur etiam Orientalis Ecclesiæ Alumni Constantinopolitano Patriarchæ, aut alteri alioquin subditi ".

In eam rem facit antiquius monumentum ex Concilio Turonensi II depromptum.

Hanc in rem apte quoque cadere videtur antiquius monumentum, ductum ex Decreto Concilii Turonensis II (An. 569.) Can. 20: „ Quis Sacerdotum contra Decreta talia, quæ a Sede Apostolica processerunt, agere præsumat... Et quorum Auctorum valere possit prædicatio, nisi quos Sedes Apostolica semper aut intromisit, aut apocryphos fecit, & Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit auctoritas ".

Precandi ritus pro consonantiæ ratione a Nicæna Synodo præscriptus.

His operæ pretium ducimus vigesimum adjungere Canonem Nicænæ Synodi Œcumenicæ primæ. „ Quoniam sunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecostes: Ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit Sancto Concilio, stantes Domino vota persolvere ". Duo hinc eruuntur: unum, Patribus Nicænis magni momenti visum, atque omnino in votis fuisse, ut una & concors in eo ritu precandi forma servaretur: alterum, eam in omni loco formam servandam,

K

,(11

quæ per superiora generalia Decreta præscripta fuerit. Nec enim post illud Decretum fas jam erat cuique Antistiti, ut genua flectentes orare juberet, quos stantes vota Domino persolvere debere Synodus decrevisset.

Praescriptio sub anathemate Tridentinae Synodi circa sacros ritus. Nullus alius admittendus non Apostolicae Sedi probatus.

Eadem mente inducti Tridentini Patres Sess. 7, Can. 13 decrevere “: Si quis dixerit, rece-
„ ptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus
„ in solemni Sacramentorum administratione ad-
„ hiberi consuetos, aut contemni, aut sine pec-
„ cato a Ministris pro libito omitti, aut in no-
„ vos alios per quemcumque Ecclesiarum Pasto-
„ rem mutari posse: Anathema sit“. Sess. porro 22, cap. 8: *De missa vulgari lingua passim non celebranda, concedit, retineri ubique cujusque Ecclesiæ antiquum, & a Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra probatum ritum*. Noverant pro sua Sapientia Tridentini Patres consuetudines, quæ diuturno usu invaluerunt vix sine aliqua offensione, aut offensionis periculo tentari posse, memores præclaræ Augustini sententiæ, hoc ipsum quod utilitate juvat, novitate sæpe perturbare. Itaque ritus concedunt in nonnullis Ecclesiis pridem receptos: duplici hac apposita cautione, ut & antiqui sint, & a Sancta Romana Ecclesia Ecclesiarum omnium Matre, & Magistra probati.

Quis igitur putet Synodum Tridentinam ritum concessuram fuisse, cui utraque conditio refragaretur, qui nec antiquus esset, nec a Sancta Romana Ecclesia probatus? Quod si utilitas sæpe omittenda, ne novitas perturbet; an ferenda novitas, quæ duo illa pervertat, quibus Tridentina Synodus consultum maxime voluit, antiquitatem scilicet cum Romanæ Sedis approbatione conjunctam?

His perspectis monumentis, quæ tam pauca, ex tam multis, quibus antiquitas abundat, collegimus, dolendum profecto, non deesse homines, & plures quidem minime malos, nec plane rudes, sed non satis peritos, aut prudentes, qui adeo facili in hanc fraudem impelli se patiantur, ut existiment Isidorianis, ut vulgo ajunt, mercibus effectum esse, ut Episcopi ab eo dignitatis gradu paullatim dejicerentur, quo tot retro ante Seculis Ecclesiæ quisque suæ regendæ munere, cum plena sibi a Christo tradita potestate perfungerentur. Nisi forte qui hunc suis artibus maxime opportunum errorem omni ope fovere, ac spargere in vulgus non desinunt, exquisita qua pollere imprimis videri volunt, eruditione compererint, Canones Apostolicos, Neocæsarienses, Gangrenses, Laodicenos, Carthaginenses, quin & Nicænos viginti ex Isidorianis

istis, quas nec nosse videntur, mercibus prodisse. Quod si consequi minus id valeant, dicant oportet, quemadmodum plena, indefinita potestas ea intelligi queat, quæ semper fuerit superiori potestati subjecta, ac jure quidem Divino Apostolicæ Sedis principatui; tum Ecclesiasticis institutis, præstantiori auctoritati ejus Antistitis, qui primas teneret in unaquaque Diœcesi, vel Provincia, sive Patriarchæ, Primatis, Metropolitæ, sive alio quovis nomine vocaretur? Fuit ab initio in Ecclesia constituta hierarchica inter Antistites graduum discretio, qui alii aliis præeminerent: porro vi sua repugnat, ut in ea graduum distinctione, quorum alii aliis altiores exsisterent, æqua esset ac par in omni gradu auctoritas, atque dignitas.

Plenæ potestatis regiminis ratio in singulis Episcopis pugnat cum ordinata graduum distinctione.

Dicant præterea qui plena ac indefinita potestas intelligi possit, quæ tot Synodorum sive universalium, sive Provincialium Decretis, Pontificiisve Constitutionibus temperata, circumscripta, septa undique cernitur: ut cum Episcopus regendæ plebi suæ præficeretur, ipse vicissim in eo munere fungendo superioribus Decretis regeretur, quibus parere omnino deberet, pœna etiam ab eis repetita, qui detrectarent. An non vi sua repugnat, ut indefinitum dicatur, quod sit undique circumscriptum; aut ingenio consequi tantum Adversarii potuerunt,

ut quæ vi sua repugnantia sunt, ipsi nova quadam arte conciliare invicem valeant?

Ergo ad quæstionis totius explicationem prorsus insistendum in ea distinctione, quam omnibus probatam superius protulimus inter potestatem Ordinis, & potestatem regiminis. Episcopali ordinatione potestas Ordinis tota quanta est plene, cumulateque suscipitur, ut hoc sensu merito Episcopus quisque Sacerdotii plenitudine pollere dici valeat. De potestate autem regiminis, præter multa, quæ hactenus allata sunt argumenta, obsistit plane ratio ipsa ordinati regiminis, perque varios gradus apte distincti, ac distributi, prout semper in Ecclesia viguit, ne potestatis hujus plenitudo in singulis Episcopis aut inesse, aut agnosci unquam potuerit.

Grandis plane sententia est, quam ex perpetua traditione ductam Basileenses ipsi (Sess. 5.) palam, & aperte profiteri non dubitarunt velut dogma notum adeo ac pervulgatum, ut nec id commemorari opus esset: *Solum Petrum in plenitudinem potestatis vocatum esse, alios in partem sollicitudinis*. Quod si hanc plenitudinis præstantiam Basileenses in Romano Pontifice nulla hæsitatione agnovere, quis dubitet, quin eam ceteri omnes universi Orbis Præsules, ac fideles multo propensiore animo, ac religione

Solum Petrum vocatum in plenitudinem potestatis, ceteros in partem tantum sollicitudinis professi sunt ipsimet Basileenses. Non ergo ex eorum sententia Episcopi cujuslibet potestas

exaequari valet potestati Romani Pontificis.

agnoverint, colueritque? Certum igitur est hanc eo ævo fuisse conspirantem, & unanimem omnium Ecclesiarum, omnium Antistitum, fidelium omnium, uno verbo universalis Ecclesiæ mentem, sententiam, fidem, de qua nec minimum dubitandi locum esse Catholicus quisquam suspicaretur. Porro quæ unius ætatis fides est Ecclesiæ, ea fides est omnium ætatum. In hac ergo hæreat quisquis nolit ab immota Divini Verbi stabilitate discedere.

Multo plura pro argumenti dignitate doctior Vir quisque afferre potuisset; nec nobis ipsis alia deessent, quæ ad rem facerent: Verum cavendam ex una parte duximus grandioris voluminis offensionem, quæ ut ingenium est Seculi, plurimos deterret a legendo, aliunde quæ pauca excerpsimus ea per se se probari posse non diffidimus, si quem nacta lectorem fuerint, qui ad rem quamque non ex partium studio æstimandam, sed momento suo ponderandam paullo diligentius incumbere voluerit.

Licet vero hic finis esse videri debeat susceptæ disputationis, quippe nec nobis hoc loco proposita est, nec ad præsentis instituti rationem pertinet plena, & accurata jurium pertractatio, quæ summum istud auctoritatis fastigium in Romano Pontifice consequuntur, tamen haud abs

re fuerit velut appendicis loco nonnulla summatim colligere Pontificiæ Dignitatis decora, quibus Adversarii plurimum ob eam causam solent invidere, quod in iis tanquam illustribus notis, & insignibus mirifice splendescat plenitudo ea potestatis, quam moleste adeo ferunt in Romano Pontifice. Quibus perspectis agnoscant probi homines, quam fraudulenter in his se gerant, qui ea ornamenta novitatis insimulant, quæ tot veteris traditionis, ac memoriæ certis, perspicuisque vestigiis impressa cernuntur.

DE CONSECTARIIS NONNULLIS INSIGNIBUS APOSTOLICI PRINCIPATUS IN ROMANA SEDE VIGENTIS.

I.

Primum insigne, Cathedra Petri velut Ecclesiarum Matrix, Episcopatur, ac Sacerdotalis unitatis exordium, Religionis ipsius Fons, & Origo a patribus commendata.

AC primum quidem illud se offert praestantissimae Dignitatis Insigne, quod prisca jam illa aetas, propiorque primae origini, Petri Cathedram non ut primam Sedem tantum, sed ut Radicem, Matricemque coluerit, e qua Sacerdotalis unitas exorta est, aliaeque Sedes velut e natali fonte prodiere, quin & Apostolatus, Episcopatusve in Christo coepit exordium; unde religionis nostrae, propitio Christo Fons, & Origo manavit; quae certe nulli alteri Sedi convenire possunt.

Itaque Cyprianus [a] cum apud Cornelium Papam de nonnullorum Schismaticorum pervicacia

(a) Epist. 12 ap. Coustant col. 173.

conquereretur, eorum hoc etiam nomine impudentiam coarguit, quod Romam navigare auderent, *ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est*, ad Romanos illos, *quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum*. Siricius [a]: *Cum in unum*, inquit, *plurimi fratres convenissemus ad Sancti Petri Apostoli reliquias, per quem & Apostolatus, & Episcopatus in Christo cœpit exordium*. Depositi apud Sedem suam, sibique Decessorum traditione crediti honoris custos fidelis Innocentius I eisdem verbis, quibus pridem usus fuerat Siricius Victricium Rothomagensem alloquitur, ep. 2, n. 2.[b]: *Incipiamus igitur adjuvante Sancto Apostolo Petro, per quem, & Apostolatus, & Episcopatus in Christo cœpit exordium*. Rescribens porro idem ad Episcopos Carthaginensis Concilii an. 417 laudat eos, quod *antiquæ Traditionis exempla servantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ*, acta sua solliciti fuerint ad ipsum referre, *scientes quid Petri Sedi debeatur, a quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emersit*. Quo distinctius explicat,

(a) Epist. ad Episcopos Africæ.
(b) Ap. Coustant col. 746.

quod etiam nemini dubium erat, quid ab universis Episcopis postularet tam præclarum Episcopatus exordium. Probe id & agnovit Cæsarius Arelatensis, & professus est libello, quem Symmacho Papæ obtulit [a]. *Sicut a Persona Beati Petri Apostoli Episcopatus initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus Sanctitas Vestra singulis Ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat*. Cujus Pontificis non consilii tantum prudentiam (ut Veteratores quidam perperam solent effutire), sed & auctoritatis præsidium Cæsarium maxime efflagitavisse, hoc ipso luculenter patet, quod ea Epistola Pontificem majorem in modum rogat, ut nonnulla, quæ pravo more in Provincia sua invaluerant, *ultione districtionis suæ fieri prohiberet*.

Hac ratione Gallicani Patres Epistolam Leonis ut Fidei Symbolum suscipiunt.

Probe & id antea agnoverant Gallicani Patres Epistola Synodica ad Leonem Papam, qua ipsius ad Flavianum Epistolam [b] eximiis ornant laudibus, eique velut immotæ fidei regulæ assentiri se profitentur. „ Quæ, inquiunt, Apostolatus Vestri scripta, ita ut Symbolum fidei, „ quisquis redemptionis Sacramenta non negligit, „ tabulis cordis adscribit. " Et post pauca:

(a) Ap. Labb. ed. Venet. t. V, col. 424.
(b) Ap. Labb. t. IV. col. 578.

„ Quis autem Apostolatui Vestro pro hoc tantò „ munere, quod non solum Gallias, sed totum „ Mundum velut quibusdam pretiosissimis gemmis „ ornavit, dignas æstimet gratias posse persolvi? „ Doctrinæ post Deum Vestræ debet fidelis, ut „ constanter teneat quod credebat: Debebit et„ iam infidelis, ut a perfidia sua agnita verita„ te discedat; & Apostolicæ institutionis luce „ perfusus erroris sui tenebras derelinquat, ma„ gisque sequatur, & credat, quod per os Ve„ strum Dominus Jesus Christus de Sacramento „ Incarnationis suæ docet, quam id teneat, „ quod Diabolus humanæ salutis, & veritatis „ inimicus instillat. " Demum gratulantur, ac Deo gratias agunt, quod tantæ Sanctitatis Antistitem dederit *Apostolicæ Sedi*, *unde religionis nostræ propitio Christo Fons*, *& Origo manavit*.

Quo minus mirum videri debet, Patres Concilii Aurelianensis V, an. 549, inter quos & Sanctus Nicetius Trevirensis [a] enituit, Majorum saorum vestigia secutos, nulla etiam facta mentione Synodorum Ephesinæ, & Chalcedonensis, impia dogmata execratos esse Nestorii, & Eutychis, auctoritate permotos Sanctæ Sedis Apostolicæ, quæ

Consequenter Patres Aurelianenses una fulti auctoritate Sanctæ Sedis, Nestorii, Eutychetisque er-

(a) Ap. Labb. t. V, col. 1375.

rores detestantur. Sectas illas damnaverat: Quippe qui Leonis Epistolam velut traditum sibi Symbolum fidei accepissent, qua & fidelis in veræ fidei constantia firmaretur, & infidelis Doctrinæ Christi per os Leonis patefactæ, abjecta perfidia tandem aquiesceret.

Etiam Afri patres doctrinam *Romanam* hoc est *Catholicam*, velut una duplicis vocis significatione promiscue designant.

Eo spectat præclarum testimonium, quod in Synodica Epistola ad Johannem, & Venerium edidere Afri Patres in Sardinia exules, quo ad commendationem doctrinæ Sancti Augustini *De Gratia Dei, & Arbitrio hominis*, illustrius nil afferri posse censuerunt, quam quod „ Beatæ „ memoriæ Hormisdas Sedis Apostolicæ glorio- „ sus Antistes in Epistola, quam consulenti se „ Sancto Fratri, Consacerdotique nostro Posses- „ sori rescripsit, cum magno præconio Catholi- „ cæ laudis inseruit, cujus hæc verba sunt: *De* „ *arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quid* „ *Romana, hoc est Catholica sequatur, & ser-* „ *vet Ecclesia, licet in variis libris Beati Au-* „ *gustini, & maxime ad Prosperum, & Hila-* „ *rium abunde possit agnosci, tamen & in scri-* „ *niis Ecclesiasticis expressa capitula continen-* „ *tur.*" Ubi quod attinet ad doctrinam duplicis vocis Romanæ, & Catholicæ, una eademque præfertur acceptio, ut *Catholica* doctrina non alia censeatur, quam quæ *Romana* sit, & quam *Romanam* esse

constet, hoc ipso *Catholica* esse intelligatur. Atque hæc quidem epistola merito creditur a Sancto Fulgentio exarata, qui, ut Auctor ejus vitæ loquitur, *omnium erat linguæ, & ingenium, propterea que quandocumque rescribebant consulentibus, Episcoporum cunctorum nomina dicebantur in titulo, sed solius Beati Fulgentii sermo tenebatur in stylo*. Nec a Magistro Fulgentio dissensit Discipulus ejus Ferrandus Carthaginensis Diaconus, qui inter alia multa, Chalcedonensis Concilii *Decreta* profitetur ex consensu Apostolicæ Sedis *accepisse robur invictum*, ut nullus jam appellandi locus superesset. *Epist. ad Pelag. & Anatol.* Quibus patet priscis illis Patribus hanc penitus animo sententiam insedisse, ut quæ ad Religionem spectarent, ab ea potissimum Sede petenda essent, quam Ecclesiarum Matricem, ac Magistram a Christo constitutam a Majoribus accepissent.

II.

Alterum ex primo nexum, nec minus eximium Insigne, ductum videlicet ex præclara illa Episcopatus Origine, in eo elucet, quod & olim per universam Ecclesiam Romanus Pontifex non primus tantum inter Episcopos, sed & Pater Patrum, Pastorum Pastor, Antistes Antistitum passim dictus fuerit, ac celebratus.

Alterum Insigne, Pontifex Pater Patrum, Pastor Pastorum, Antistes Antistitum passim dictus a Patribus.

Eo nomine Orientis Præsules Agapiti Decreta implorant, quæ finem imponant scandalis Acephalorum.

Extat hujus prædicationis illustre documentum in libello, quem Agapito Papæ obtulere Orthodoxi Episcopi Orientales in Concilio Constantinopolitano congregati sub Menna an. 536, contra Anthimum, Severum, aliosque Acephalos; cujus libelli hæc inscriptio est [a]: „ Domino Nostro per omnia Sanctissimo, & Beatissimo „ Patri Patrum, Archiepiscopo Romanorum, „ & Patriarchæ Agapito: Rogamus, inquiunt, „ finem perfectum imponere Divinæ, ac Vestræ „ Sententiæ contra Anthimum, parentis Vestris „ Decretis convenientem, ut omne de medio „ extinguatur scandalum a parvulis in Dominum „ credentibus, & optatam vocem audietis ab „ omnibus nobis.“

Eodem nomine Afri Patres profitentur, quidquid ubique agatur non ante firmum consistere, quam fuerit Apostolica auctoritate firmatum.

Par monumentum ex Africa in Epistola Conciliorum trium, Numidiæ, Byzacenæ, & Mauritaniæ, lecta in Concilio Lateranensi sub Martino I an. 649, cujus inscriptio [b]: „ *Domino* „ *Beatissimo, Apostolico Culmine sublimato,* „ *Sancto Patri Patrum Theodoro Papæ, &* „ *summo omnium Præsulum Pontifici.*“ Quanta porro in hujus prædicationis splendore vis auctoritatis inesset, non ambigue illi declarant:

(a) Apud Labb. tom. V, col. 999.
(b) Apud Labb. tom. VII, col 131.

„ Antiquis, inquiunt, regulis sancitum est, ut
„ quidquid quamvis in remotis, vel longinquis
„ positis ageretur Provinciis, non prius tractan-
„ dum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam
„ Almæ Sedis Vestræ fuisset deductum, ut hu-
„ jus auctoritate justa quæ fuisset pronunciatio
„ firmaretur, indeque sumerent ceteræ Ecclesiæ
„ velut *de natali suo fonte* prædicationis exor-
„ dium, & per diversas totius Mundi regiones
„ puritatis incorruptæ maneant fidei Sacramenta
„ salutis. “

Antiquæ sanctionis hujusce vestigia in Africa plura vel ipse Tertullianus exhibet, nec solum eo tempore, quo Catholicus adhuc Romanæ Apostolicæ Cathedræ auctoritatem strenue defendebat, verum & posteaquam misere in hæresim prolapsus acrius eam insectari cœpit, ut mos est hæreticorum. Celebris est locus lib. *De Pudicitia* cap. I: quo loco dum errorem suum adversus Apostolicæ Sedis judicium defendere aggreditur, Romanum ipsum Pontificem, a quo id latum fuerat, Episcopi Episcoporum nomine designat. „ Audio etiam, inquit, edictum proposi-
„ tum, & quidem peremptorium, Pontifex sci-
„ licet Maximus, Episcopus Episcoporum dicit
„ &c. “ Nemo quidem non videt Tertullianum nominis hujus amplitudinem in fastus, & arro-

Idem eruitur ex Tertulliani jam in hæresim delapsi convicii s

gantiæ invidiam trahere voluisse, ut quam vim ex Pontificii nominis auctoritate decretum capiebat, eam elevaret. Verum & simul patet nullum futurum fuisse locum hujus torquendi convicii, nisi jam ea ætate communi more, & usu receptum esset, ut cum quis Pontificis Maximi, & Episcopi Episcoporum appellationem audisset, ea continuo Romanum Pontificem designari intellexisset, ut proinde vel in hoc suo convicio luculentum Tertullianus testimonium reliquerit ejus appellationis, cujus vim, erroris sui tuendi causa, sentiebat necesse sibi esse quomodocumque repellere. Simul & istud ex eo loco intelligitur tantam illius nominis præstantiæ auctoritatem tributam, ut quidquid *Pontifex Maximus*, *Episcopus Episcoporum* adversus quamcumque Sectam statuisset, id *peremptorii edicti* loco haberetur.

Præclarum eadem re Isidori Hispalensis testimonium. Debitæ hujusce venerationis, & obedientiæ erga Pastorum Pastorem præclarum documentum præbet splendidum illud, non Hispalensis modo, sed & universæ Ecclesiæ lumen, Isidorus junior, quem Sancto Ildefonso suffragante Toletana Synodus duorum supra quinquaginta Episcoporum, velut Doctorem egregium, Catholicæ Ecclesiæ novissimum decus celebravit, quem & Sanctus Braulius Cæsaraugustanus novissimis temporibus a Deo

a Deo suscitatum scribit ad restauranda antiquorum monumenta. Is porro Epist. ad Eugenium Toletanum Episcopum: „ Quod vero, inquit, de parilitate agitur Apostolorum, Petrus præeminet ceteris, qui a Domino audire meruit: Tu vocaberis Cephas...., cui etiam post resurrectionem Filii Dei ab eodem dictum est: Pasce agnos meos, Agnorum nomine Ecclesiæ Prælatos notans.... Qui igitur debitam ei (Romano Pontifici) non exhibet reverenter obedientiam, a Capite sejunctus Acephalorum Schismati se reddit obnoxium, quod sicut illud Sancti Athanasii de Fide Sanctæ Trinitatis Sancta Ecclesia approbat, & custodit, quasi sit fidei Catholicæ articulus: Quod nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit. " *Et Epist. ad Claudium Ducem* cap. I: „ Sic nos scimus præesse Ecclesiæ Christi, quatenus Romano Pontifici reverenter, humiliter, & devote tanquam Dei Vicario, præ ceteris Ecclesiæ Prælatis, specialius nos fateamur debitam in omnibus obedientiam exhibere: Contra quod quemquam procaciter venientem, tanquam hæreticum, a consortio fidelium omnino decernimus alienum. Hoc vero non ex electione proprii arbitrii, sed potius auctoritate Spiritus Sancti habemus

„ firmum, ratumque credimus, & tenemus“. Videant modo quo loco haberi velint, qui excutere omni ope satagunt debitum illud obedientiæ officium, quod Isidorus, quod Toletani Patres, quod Hispaniarum præstantissimi Præsules non oneri, sed bonori summo sibi esse duxerunt.

Brunonis Astensis. Nunc si lubet ad mediam ætatem progredi, adest doctrina perinde, ac sanctitate insignis Antistes, quem honoris causa nomino, Bruno Astensis, cujus hæc verba sunt Comment. in Johannem n. 55 (forte excerpta ex Sancto Encherio Lugdunensi, seu alio antiquo Gallicano Episcopo, ut apud Natal. Alex. Dissert. IV in I secul. §. 1 a): „ Prius Agnos, deinde Oves ei „ (Petro) commisit, quia non solum Pastorem, „ sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pa„ scit igitur Petrus Agnos, pascit & Oves, pa„ scit Filios, & Matres: regit & subditos, & „ Prælatos. Omnium igitur Pastor est, quia „ præter Agnos, & Oves, in Ecclesia nihil „ est.“

Bernardi. Sequenti seculo summus Vir ille, quo Patrum agmen claudi solet, Bernardus lib. 2 *De Consid. ad Eugenium* c. 8: „ Age, indagemus

(a) Tom. II ad Rom. an. 1775, p. 604.

„ diligentius, quis sis, quam geras pro tempo-
„ re personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacer-
„ dos Magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps
„ Episcoporum..... habent illi assignatos sibi
„ greges, singuli singulos: Tibi universi credi-
„ ti, uni unus. Nec modo Ovium, sed & Pa-
„ storum tu unus omnium Pastor. "

Quæ & veterum Patrum sententiis plane consentiunt: Epiphanii hæresi 51: „ Petrum eli-
„ git ut *Dux* esset Discipulorum. " Veterum Patrum in idem conspirantes sententiæ

Johan. Chrysostom. Homil. 55 in Matth. „ Deus concedere solus potest, ut futura Eccle-
„ sia tot tantisque fluctibus impetu irrumpenti-
„ bus immobilis maneat, cujus Pastor, & Ca-
„ put homo piscator, atque ignobilis. " Et rur-
sum: „ Hieremiam uni genti Patrer, hunc autem
„ universo terrarum Orbi Christus præposuit. "

Theodoreti Epist. 116 ad Renatum Presbyterum Romanum: „ Habet Sanctissima illa Se-
„ des, Ecclesiarum quæ in toto sunt Orbe prin-
„ cipatum multis nominibus, atque hoc ante
„ omnia, quod ab Hæretica labe immunis man-
„ sit. "

Qui porro intelligi posset iste in universas Ecclesias principatus, nisi ei & ab his parendum esset, qui singulis præsunt Ecclesiis? Aut quæ intelligi posset cura universi gregis, nisi & ei

subessent, qui singularum curam gerunt portionum gregis?

III.

Tertium Insigne. Ecclesiarum omnium inter se communio nexa ex communione cum Apostolica Sede.

Tertium ex duobus istis prioribus exoritur Insigne, in eo situm, quod Ecclesiarum inter se communio nexa sit ex communione cum ea Sede, quæ omnium constituta est radix, matrix, ac Magistra, nec legitimus quisquam Pastor esse queat cujusve portionis gregis præter ejus sententiam communionemve, cui universi gregis cura commendata est, nemo adeo legitimus Pastor, qui non sit vicissim a legitimo suo Pastore agnitus, ac probatus, ab eo nimirum qui Pastoribus ipsis datus est Supremus Pastor, qui præest ei Sedi, e qua Episcopatus ipse, ac tota auctoritas ejus nominis emersit.

Ambrosii testimonium.

Quam in rem apertam habemus Ambrosii sententiam Epist. ad Gratianum &c. num. 4 [a]: „ Tamen totius Orbis Romani Caput Romanam „ Ecclesiam, atque illam Sacrosanctam Apostolorum fidem, ne turbari sineret, obsecranda „ fuit Clementia Vestra, *inde enim in omnes „ venerandæ communionis jura dimanant.* "

Tum de excessu Fratris sui Satyri l. I, n. 47: „ Advocavit ille ad se Episcopum..... per-

(a) Ord. novo XI, cls. I. edit. Rom. 4.

„ contatusque ex eo est, *utrumnam cum Epi-*
„ *scopis Catholicis*, hoc est, *cum Romana Ec-*
„ *clesia conveniret?* Et forte ad id locorum, in
„ Schismate regionis illius Ecclesia erat, Luci-
„ fer enim se a nostra tunc temporis commu-
„ nione diviserat, & quanquam pro fide exsulas-
„ set, & fidei suæ reliquisset heredes, non pu-
„ tavit tamen fidem esse in Schismate. Nam et-
„ si fidem erga Deum tenerent; tamen erga
„ Dei Ecclesiam non tenebant, cujus patieban-
„ tur velut quosdam artus dividi, & membra
„ lacerari. Etenim cum propter Ecclesiam Chri-
„ stus passus sit, & Christi Corpus Ecclesia
„ sit; non videtur ab his exhiberi Christo fides,
„ a quibus evacuatur ejus Passio, Corpusque di-
„ strahitur. "

Hieronymi habemus luculentissimis verbis per- Hieronymi.
scriptam, ac prope ad rem factam sententiam Epi-
stola olim 57 ad Damasum notissima: „ Ego
„ nullum primum, nisi Christum sequens, Beati-
„ tudini Tuæ, idest Cathedræ Petri, commu-
„ nione consocior. Super illam Petram ædifica-
„ tam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc
„ domum agnum comederit, profanus est. " Et
postea: „ Non novi Vitalem, Meletium respuo,
„ ignoro Paulinum. Quicumque tecum non col-
„ ligit, spargit. " Quo loco & probe notan-

dum, Cathedram Petri non ab ejus Persona sejungi, qui Cathedræ præsidet, nec aliter adeo Cathedræ Petri se consociatum Hieronymus existimabat, quam prout ipsi Pontifici in ea Cathedra sedenti consociabatur. *Beatitudini Tuæ*, inquit, *idest Cathedræ Petri communione consocior*. Instar unius sunt & Cathedra, & qui præest Cathedræ, ut hæc ab eo divulsa intelligi nequeat, in quo viget ipsiusmet Cathedræ principatus. Nec plane abnuit Auctor ipse *Defens. &c. Cleri Gallicani.* dum scribit Part. III, lib. 10, c. 5: „ Neque propterea dicimus, ipsam „ Sedem aliquid exercere posse potestatis, aut „ jurisdictionis, aliter quam per ipsum Præsiden„ tem. “

Cyrilli Alexandrini, & Cælestini. Habemus Cyrilli, quem supra vidimus ausum non esse de communione cum Nestorio habenda, vel dirimenda quidquam nisi de Cælestini sententia decernere.

Tum & ipsius Cælestini, qui Epist. 14 ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum, quos Nestorius a communione dejecerat, Sedis suæ auctoritate declarat, ac decernit in pristina communione, & fuisse, & hucusque perdurare.

Augustini. Augustini, qui Epist. 43, n. 7, Cæcilianum tradit: „ Potuisse non curare multitudinem „ conspirantium contra se Antistitum, cum se

„ videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper „ Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & ceteris terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse „ conjunctum. " Quo loco ad omnem prævertendam cavillationem probe notandum, ista terrarum, aut Ecclesiarum adjunctione nil de summa detrahi auctoritate principatus Apostolicæ Cathedræ, quoad communionis jura impertienda, quippe præterquamquod nonnisi a Romana Sede, aut ab his, qui ejus auctoritate missi essent, Evangelium ad Africam venerat, profecto quotquot fuissent Itali, aut exteri alii Episcopi, si eos per se se spectes, nil plus potuissent ad sublevandum, quam Afri ipsi ad dejiciendum Cæcilianum: immo tanto minus, quanto in Afri Episcopi causa plus valere debuisset proprium suorum, quam alienum exterorum judicium. Quo patet non aliam Cæciliano auctoritatem suffragari potuisse, quam quæ prodibat ex communione cum ea Cathedra, cujus communio aliarum communionem vi sua secum ipsa trahebat, cujus Apostolico principatui nil externum, aut alienum, nil potest esse non subjectum. Ut proinde ceteræ illæ terræ memorentur ab Augustino, ob eam causam, quod & ipsæ in communicando principalis Ecclesiæ suæ auctoritatem plena con-

sensu, & obsequio sequerentur, non quod plus quidquam ei roboris, aut momenti adjicerent.

Præclarum Sancti Maximi Abbatis testimonium, viam præferens plane intelligentiæ Florentini Decreti.

Eodem sensu inductus *Doctissimus Theologus gloriosus Monothelitarum debellator*, Maximus Abbas, & Martyr, cujus opera Cleri Gallicani mandato edidit cl. Combefisius Epist. ad *Petrum Illustrem* sic de Pyrrho Constantinopolitano statuebat: „ Festinet pro omnibus Sedi Romanæ
„ satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter
„ ubique omnes pium hunc, & Orthodoxum
„ prædicabunt. Si enim alios quidem satisfacien-
„ dos ducit, & Beatissimum Romanum Papam
„ nequaquam implorat, simile quiddam agit ei,
„ qui forte homicidii, vel alterius cujusdam cri-
„ minis redarguatur, & insontem se non ei,
„ qui secundum leges judicandi jura sortitus est,
„ exhibere festinat: sed tantum inutiliter, &
„ sine lucro aliis, & privatis hominibus mundi-
„ tiam monstrare sui satagit actus, qui nullam
„ habeat, se solvendi a crimine potestatem ". Quod ille velut consequens duxit ex eo quod
„ Apostolica Sedes ab ipso Incarnato Dei Verbo,
„ sed & *omnibus Sanctis Synodis*, *secundum*
„ *Sacros Canones*, & terminos universarum, quæ
„ in toto terrarum Orbe sunt, Sanctorum Dei
„ Ecclesiarum in omnibus, & per omnia perce-
„ pit, & habet imperium, auctoritatem, & po-

„ testatem legandi, atque solvendi“. Juverit hic notasse, quod ait Sanctus Doctor de *imperio*, *auctoritate*, *potestate*, quam habet Apostolica Sedes ab ipso Incarnato Dei Verbo, sed & omnibus Sanctis Synodis, *secundum Sacros Canones* &c. planam, ac dilucidam intelligentiam, interpretationemque afferre Florentini Decreti, quo plena hæc potestas a Christo tradita asseritur, prout in gestis *Œcumenicorum Conciliorum*, *& in sacris Canonibus continetur*, nimirum, quod & ipsi Canones fidem faciant *plenæ* hujusce potestatis traditæ, non, prout nonnulli frustra ex græca littera elicere moliuntur, quasi fuerit Canonibus limitata: quod & ipsi litteræ repugnat, qua *plena* dicitur. Præterquamquod aliunde notum est latinam litteram non minus quam græcam a Synodo fuisse comprobatam.

Nunc ut ad Augustinum redeamus, Sanctus Doctor Epist. 190, Maur. Edit. n. 1, memorat se Cæsaream Mauritaniæ cum multis aliis Episcopis convenisse. Qua porro auctoritate inducti convenerant? Perspicue ille declarat: *Quo*, inquit, *nos injuncta nobis a Venerabili Papa Zozimo Apostolicæ Sedis Episcopo Ecclesiastica necessitas traxerat*. Unde porro *injunctio*, quæ parendi necessitatem trahit, nisi ab eo qui præcipiendi auctoritate polleat? Hanc in Venerabili

Episcoporum obedientia debitum erga Sedem Apostolicam ubi Augustini testimonio confirmatum.

Papa Zozimo agnoscebant Afri Patres, ab eo e suis Sedibus in eum locum evocati. Cur ita? Quod is esset ejus Sedis Episcopus, quæ proprie, ac singulariter est Apostolica, in qua, ut alibi ait idem Augustinus, *Apostolicæ Cathedræ semper viguit principatus*. An vero splendidam hanc Apostolici Principatus appellationem putabimus velut inane nomen usurpatam ab Augustino, cui non inesset Culmen illud potestatis, quod in Culmine Apostolici Principatus vis ipsa nominis prorsus efflagitat, perspicueque commonstrat?

Communicandi normam ex præscripto Apostolicæ Sedis petendam Orientales Hispanienses que Antistites agnoscunt.

Præclara etiam auctoritas ducitur ex Epistola Hormisdæ ad omnes Episcopos Hispaniæ. Consultus fuerat Hormisdas ab Johanno Constantinopolitano *pro suo Catholicæ fidei affectu, & Apostolicæ Sedis veneratione, quo ordine ex Clero Græcorum venientibus tribui deberet Sancta Communio, propter scilicet causam Acacii, qui ab ipsius Prædecessoribus pro hæreticorum communione* (quam ille tenuerat) *damnatus fuisset, qua in communione, qui se ab ejus contagione non dividebant, ab Apostolica communione habeantur excepti*. Quibus ex verbis jam quisque intelligat, quam infixum esset animis Orthodoxorum, nemini jus esse ad Communionem Catholicam, qui Apostolicæ Sedis communione non potiretur. Ne porro in re tanti

momenti quidquam erroris Hispaniensibus Ecclesiis obreperet „: Memor, inquit, Pontifex no„ stri ut oportet, officii documenta quæque de „ Ecclesiæ scriniis assumentes, ad Concilium „ Vestrum pro generalitatis instructione direxi„ mus „ ut ex illis plenius, quæ sunt acta di„ scentes, ab omni Vos errantium communio„ ne separetis... „ Et post pauca: „ Nos au„ tem libellum misimus, sub quo si quis com„ munionem vestram de Orientalibus Clericis „ poposcerit, ad eam possit admitti „.

In libello porro præscriptum erat, ut præter alia multa omnes profiterentur suscipere se, & probare Epistolas Beati Papæ Leonis universas, quas de Religione Christiana conscripsit: tum & sequi in omnibus Apostolicam Sedem, & prædicare omnia ejus constituta: singulariter vero quisque subscriptionem suam huic formulæ adjiceret: „ Et per omnia spero, ut in communione „ Vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, „ esse merear, in qua est integra, & vera „ Christianæ Religionis, & perfecta soliditas: „ promittens in sequenti tempore sequestratos a „ communione Ecclesiæ Catholicæ, idest, non „ consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina „ inter sacra non recitanda esse Mysteria „. Quæ formula, qua præscriptum fuit, *sequestra-*

In octava Œcumenica Synodo non consentientes Sedi Apostolicæ, sequestrati perhibentur a communione Ecclesiæ Catholicæ.

tos a communione Ecclesiæ Catholicæ, idest, non consentientes Sedi Apostolicæ eorum nomina inter sacra non recitanda esse Mysteria, cum in Octava Œcumenica Synodo, Act. I, usurpata deinceps ac probata fuerit, etsi multa huic loco addi possent ad eruditionis copiam, quis tamen plura expetere audeat ad fidei firmitatem faciendam? Verum ne quis obtrectandi locus novarum rerum cupidis relinquatur, e re ducimus subjicere quid de illa Hormisdæ formula testatus est Auctor *Defensionis* &c. Part. III, lib. 10, c. 7: „ Atque hæc professio ab Hormisda Pontifice „ dictata, ab omnibus Episcopis Orientalibus, „ eorumque Antesignanis Constantinopolitanis Pa„ triarchis est recepta. Qua de re Occidentales „ Episcopi, præsertim Gallicani, multum in „ Domino collætantur; ut certum sit, hanc „ formulam a tota Ecclesia Catholica compro„ batam “.

IV.

Quartum Insigne. Quod ex omni tempore antiquitate graviores causæ ad Sedis Apostolicæ judicium referendæ fuerint.

Huic juri communionis per universum Orbem impertiendæ, junctum, & affine aliud est Pontificiæ Potestatis Insigne quarto loco numerandum. Nempe vel a primis seculis notum fuit, quocumque ex loco patere aditum ad Romanam Sedem, velut ad commune perfugium, sive qui Episcopi gradu dejecti, aut ictu aliquo calamita-

tis perculsi forent, sive qui suo gradu indigni ad Pastorum Pastorem deferendi essent, quo suprema ejus auctoritate suis e Sedibus dejici juberentur, aliique in eorum locum substitui: uno verbo ac universe quidquid quocumque loco paullo gravioris momenti per singulas Ecclesias gereretur, ad communem omnium Radicem, Matricemque esse referendum.

Argumentum ex Cypriano in causa Basilidis, &c.

Exempla cum testimonii auctoritate suppeditabit vel ipse Cyprianus. Basilides Asturicensis Episcopus, & Martialis Emeritensis de gradu a suis Synodis dejecti, Romam ad Stephanum Romanum Pontificem se contulerant, cui cum causam subdole exposuissent, restitutionem ab eo impetrarant. Hanc equidem Cyprianus non probavit: verum hac de causa, quod „Basilides post crimina sua detecta Romam pergens Stephanum longe positum, & gestæ rei, ac veritatis ignarum fefellisset". Qua in re: „Non tam inquit, culpandus est ille, cui negligenter *obreptum* est, quam hic execrandus, qui fraudulenter *obrepsit*". Idem statuit de Martiali, qui eadem fraude usus fuerat. Non auctoritatem a Stephano usurpatam, sed factam ei obreptionem accusat Cyprianus: Jam patet qui latam a Judice sententiam hoc tantum nomine ratam non habet, quod Judici obreptum sit, eam pro-

fecto ratam habiturum fuisse, nisi obreptionis vitium obfuisset. Qui de una tantum obreptione queritur, hoc ipso Judicis auctoritatem agnoscere se profitetur. Hanc ergo in Stephano agnovit Cyprianus; hanc Hispanienses Ecclesiæ agnoscebant, hanc, quod & majus est, Sedi suæ competere, hoc ipso demonstravit Stephanus, quod causæ cognitionem assumere non dubitavit.

Aliud ex eodem Cypriano in causa Marciani. Petri de Marca de hac ipso testimonio judicium.

Præclarum aliud de suprema Romani Pontificis auctoritate testimonium Cyprianus edidit in litteris, quibus vehementer instat apud Stephanum, ut jubeat Marcianum Arelatensem deponi, aliumque in ejus locum Episcopum substitui. Cypriani verba recitat Petrus de Marca, *de Concor.* lib. 1, c. 10, n. 8: „ Dirigantur, inquit „ Cyprianus Stephanum alloquens, in Provinciam, „ & ad plebem Arelate considentem a te litteræ, quibus abstento Marciano alius in locum „ ejus substituatur ". Quorum verborum quæ vis sit, præstat ex eodem Petro de Marca audire: „ Nulla industria, inquit ille, Novatores hoc „ testimonium Cypriani elevare possunt. Futilis „ est enim illa responsio, non deponi a Stephano Marcianum, sed deponendum declarari? „ Quin imo conceptis verbis Cyprianus exigit a „ Stephano, ut suis litteris Marcianum damnet, „ atque adeo alium substituendum decernat ".

Aliud porro insigne documentum ex Epistola Bonifacii I ad Episcopos Galliæ. Maximum Valentinæ Civitatis Episcopum accusarant apud Sanctam Sedem Clerici ejusdem Ecclesiæ [a]; jamque a Prædecessoribus Bonifacii delegata pridem fuerat provincialis ejusdem causæ cognitio, quam Maximus fraudulenter subterfugerat. Quam ob rem ait Bonifacius jam nunc debuisse dignam pro ejus accusatis in suo judicio ferre sententiam. Sed ne festinasse videretur, maxime cum accusatus lateret, aliam censuit dilationem impertiendam: „Et decrevimus, inquit, Vestrum intra „ Provinciam esse judicium, & congregari Synodum ante diem Kalendarum Novembrium... „ Quidquid autem Vestra Charitas de hac causa „ duxerit decernendum, cum ad nos relatum „ fuerit, nostra, ut condecet, necesse est, auctoritate firmetur". En apud Romanam Sedem accusatur Episcopus Valentinus: Provincialis cognitio delegatur a Sancta Sede: hanc dolose subterfugit Episcopus, ut jam jure ac merito potuisset in eum Pontifex ferre sententiam: dilationem nihilominus adhuc indulget: simulque decernit judicium in Provincia, & quidem definito tempore habendum, hac præscripta lege,

Ex rescripto Bonifacii I ad Episcopos Galliæ.

(a) Apud Labb. tom. III, col. 436.

374

ut quod ab Episcopis decretum fuisset, ad Sanctam Sedem referretur, cujus auctoritate id firmari necesse esset. Quid clarius? Quid expressius?

Ex litteris Sancti Joannis Chrysostomi ad Innocentium.

Quam multa etiam, quam luculenta ex Oriente toto monumenta suppetunt sanctissimorum, doctissimorumque Antistitum, qui a suarum partium Episcopis vexati, exagitati, perculsi ab Apostolica Sede opem, subsidium, aerumnarum suarum levamentum implorarunt? Sanctus Joannes Chrysostomus ad Innocentium Papam [a]: „ Obsecro, inquit, ut scribatis, quod haec tam „ inique facta, & absentibus nobis, & non declinantibus judicium, non habeant robur sicut neque natura sua habent: Illi autem, qui „ inique egerunt, poenae Ecclesiasticarum Legum subjaceant. Nobis vero, qui nec convicti, nec redarguti, nec habiti ut rei, litteris „ Vestris, & Charitate Vestra, aliorumque omnium, quorum scilicet & antea societate „ fruebamur, frui concedite ". Eam itaque in Romano Pontifice auctoritatem Chrysostomus agnoscebat, qua irrita decerneret, quae perperam contra ipsum gesta fuerunt, poenas canonicas ab his reposceret qui deliquerant, eique concederet, ut pristina qua antea fruebatur communione, dein-

(a) Labb tom. III, col 51.

deinceps frueretur, qua satis declarat, eam vim esse communionis cum Sede Apostolica, ut qui particeps ejus sit, expers esse nequeat communionis Catholicæ.

Theodoreti ad Leonem. Accedat Cyri Episcopus Theodoretus, Præsul ea doctrinæ fama pollens, quam norunt Eruditi, cujus ad Leonem Magnum Epistola nullo indiget Commentario [a]. „ At ego Apostolicæ „ Vestræ Sedis expecto sententiam, & oro, ob„ testorque Sanctitatem Tuam, ut mihi rectum, „ ac justum Tribunal Vestrum invocanti opem „ ferat... Ante omnia ut a Vobis docear oro, „ an me oporteat in hac injusta depositione ac„ quiescere, an non. Vestram enim sententiam „ expecto: quod si in judicatis manere me jusse„ ritis, manebo, neque ulli hominum deinceps „ molestus ero, sed rectum Dei, Salvatorisque „ nostri judicium expectabo ".

De Athanasio luculentum Julii I testimonium, & Hieronymi. Chrysostomo, ac Theodoreto præluxerat suo exemplo inter alios magnus Athanasius, de quo luculentum hoc testimonium reliquit Cælestinus I, Epistola ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum n. 7 [b] „: Fugatus illinc, in nostris „ partibus recreatus est. Denique hic ei redin-

(a) Epist. 52, edit. Baller. col. 941.
(b) Apud Coustant col. 1131.

„ tegratus est status, & in hac Sede requiem
„ communionis invenit, in qua semper Catholi-
„ cis subvenitur". Et Hieronymus ad Principiam: „ Alexandrini Sacerdotes, Papa Athanasius,
„ & postea Petrus persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum commu-
„ nionis suæ portum Romam confugerunt".

De Julii ad Eusebianos Epistola testimonium Socratis, item & Sozomeni.

Qua in causa quisquis paullo serius partis utriusque studia, consilia, gesta considerare voluerit, non poterit non animadvertere, quam proterve Insectarores Athanasii, quam vero modeste defensor veritatis Athanasius, quantove obsequio se gesserit erga Romanam Sedem, qui arcessitus a Julio, vocanti Pontifici continuo paruit, sive ut ait Theodoretus lib. 2, cap. 4, *Citationi obtemperans, statim iter arripuit*: quo & hoc etiam innotescit, studio, & obsequio erga Sedem Apostolicam nil esse veritate conjunctius, nil errore disjunctius. Ac proinde Julius ipse, ut Athanasium meritis laudibus exornat, sic & merito Eusebianorum pervicaciam perstringit epistola, quam refert Coustant col. 354: „ Quod
„ si, inquit n. 2, hujusmodi consuetudinem an-
„ tiquam sane, in magna Synodo memoratam,
„ de scriptamque, apud vos valere nolitis, inde-
„ cora fuerit ejusmodi recusatio. Morem nam-
„ que, qui semel in Ecclesia obtinuit, & a

„ Synodis confirmatus est, minime decet a pau-
„ cis abrogari ". Gravis plane sententia, qua deterreri maxime illos oporteret, qui novis rebus perpetuo studentes constitutam disciplinam pervertere, morem antiquo Ecclesiæ consensu, nec sine Divini Spiritus afflatu a Synodis firmatum convellere, pacemque adeo Ecclesiæ perturbare non verentur. Pergit Julius num. 21:„ Cur
„ autem de Alexandrina *potissimum* Ecclesia ni-
„ hil Nobis scriptum est? An ignoratis hanc
„ esse consuetudinem, ut primum nobis scriba-
„ tur, & hinc quod justum est decernatur"?

Hinc Socrates lib. 2, cap. 17:„ Julius itaque
„ contrariis inter se litteris ad ipsum missis,
„ rescribens Episcopis, qui Antiochiæ convene-
„ rant, graviter conquestus est: primum quidem
„ de acerbitate ipsorum Epistolæ, deinde quod
„ contra Canones ipsum ad Synodum non vocas-
„ sent: cum Ecclesiastica regula interdictum sit,
„ ne præter sententiam Romani Pontificis quid-
„ quam ab Ecclesia decernatur".

Hinc Sozomenus lib. 3, cap. 10:„ Animad-
„ vertens Julius Athanasium non posse tuto in
„ Ægypto degere, eum quidem ad se evocavit.
„ Ad Episcopos vero qui Antiochiæ convene-
„ rant, litteras scripsit, quibus eos accusabat,
„ quod Nicæni Concilii fidem clanculo innova-

M 2

„ rent, & quod præter Ecclesiæ Leges simul ad „ Synodum non vocassent. Legem enim esse „ Pontificiam, ut pro irritis habeantur, quæ „ præter sententiam Episcopi Romani fuerint „ gesta... His aliisque de causis, æquum omni- „ no esse censebat, ut Athanasio, & Paullo „ succurreret “.

Epiphanius quoque negat præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari oportere.

In eandem sententiam Epiphanius *Hist. tripart.* lib. 4, cap. 9, Synodum Antiochenam hoc etiam nomine improbans, quod neque Julius ei interfuisset, neque in locum suum quemquam destinasset, subjungit: „ Cum utique regula Ecclesiastica jubeat, non oportere præter sen- „ tentiam Romani Pontificis Concilia celebrari “.

Fallitur Petrus Coustant, dum falsos fuisse putat Socratem, & Sozomenum in exponenda Julii sententia.

Equidem in laudatum locum Epistolæ Julii Coustantius innuit, *in eo falsos esse Socratem, & Sozomenum, quod Julii verba* (superius recitata) *de una Alexandrina Ecclesia ab eo dicta, de universis interpretati sint*. Verum potiori jure falsus ipse videtur Coustantius, qui ea verba putet de una Alexandrina Ecclesia dicta esse a Julio, nec de universis esse interpretanda. 1 Quis dubitet, quin Socrati, Sozomeno, tum & Epiphanio mos suarum regionum, eorumque temporum notior esse debuerit quam Coustantio? 2 Queritur equidem Julius sibi *de Alexandrina potissimum Ecclesia* scriptum non fuisse, & me-

rito sane, eo quod de Alexandrina *potissimum* Ecclesia scribi debuisset, cujus Ecclesiæ res in Athanasii causa præsertim agebatur; verum qui de una *potissimum* Ecclesia, propter peculiarem causam sibi scribendum fuisse dicit, non negat, imo innuit & de aliis, etsi minus potissime, tamen adhuc scribendum fuisse, quem etiam sensum Julii fuisse, patet ex eo quod scribens ad Episcopos Antiochiæ congregatos generatim, & universe pronuntiat: *An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, & hinc quod justum est decernatur?* Quod & Constantius facile cognoscere poterat, vel ex ipsa quam refert Epiphanii auctoritate, qui & generatim enuntiat, non sine Ecclesiasticam regulam, ut præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrentur.

3. Idipsum evincit inveterata plane, constans, communis penes universalem Ecclesiam sententia, ut ex Innocentii testificatione ad Carthaginense Concilium superius adducta [a], & ad Felicem Numerianum Episcopum, qua eum commendat, quod *sequatur instituta majorum, omniaque* (verba sunt Innocentii) *quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, quasi ad Caput,*

Julii Sententia ex Innocentii, & Leonis litteris probe declarata.

(a) Epist. 4 apud Labb. tom. III, col. 19.

fc 90

atque ad apicem Episcopatus referret , ut consulta videlicet Sedes Apostolica , ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronunciet . Tum ex Epistolis plurimorum ex Orbe universo Antistitum ad Romanos Pontifices harum ætatum, quarum litterarum nonnulla excerpta protulimus , aliæ frequentes extant in Collection. Concil. atque ita Pontificum affirmationi respondent, ut siquidem alieno testimonio opus foret (quod vel nefas cogitare) dubitandi locus nullus superesset, imo plane, & invicte constaret, idipsum a Pontificibus prolatum , quod esset, ut ipsi asserebant, omnibus compertissimum.

Eodem proinde loco habenda Leonis Magni commemoratio ad Episcopos per Provinciam Viennensem constitutos [a]: „ Nobiscum itaque Vestra „ Fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem , „ pro sui reverentia a Vestræ etiam Provinciæ „ Sacerdotibus innumeris relationibus esse con- „ sultam, & per diversarum , quemadmodum „ vetus consuetudo poscebat, appellationem cau- „ sarum , aut retractata, aut confirmata esse „ judicia “.

Suffragatur Tarraconensium Patrum ad Hilarium testimonium.

Nec vero est, quod quisquam Julium , Innocentium , Cælestinum , Leonem , aliosque omni

(a) Baller. col. 632.

ætate Sanctissimos Pontifices calumnietur, quasi Sedis suæ jura plus æquo efferre studuerint. Vetus calumnia haud abhorrens ab eorum indole, qui cum semel verecundiæ fines excesserint, licere sibi putant naviter esse impudentes, quam impudentiam qua verborum gravitate jam olim represserit Bossuetius ipse, siquidem Auctor est *Defensionis* &c. præstat ex illo eodem opusculo intelligere: Part. sect. III, lib. 10, c. 6..., „ Audio quid dicant: Romanis Pontificibus, Sedis „ suæ dignitatem commendantibus, in propria vi- „ delicet causa non esse credendum. Sed absit; „ pari enim jure dixerint, ne Episcopis quidem, „ aut Presbyteris esse adhibeodam fidem, cum „ Sacerdotii sui honorem prædicant, quod con- „ tra est ... quod quidem hic semel dicere pla- „ cuit, ut temerariam, ac pessimam responsio- „ nem confutarem; profiteorque me de Sedis „ Apostolicæ Majestate, Romanorum Pontifi- „ cum doctrinæ, & traditioni crediturum: quam- „ quam eorum Sedem non ipsi magis, quam „ reliqui, ac tota Ecclesia, atque Orientales „ haud minus quam Occidentales prædicant ".

Revera nil sibi, plus suis illis Decretalibus Sanctissimi Pontifices arrogarunt, ac velut debitum poposcerunt, quam quod communi æstimatione Præsules per Orbem universi Supremo Pa-

storum Pastori deberi, & libentes agnoscerent, & summa religione præstarent. Quod etsi jam satis ex dictis intelligi potest, præstat adhuc Tarraconenses Patres audire, quo pietatis sensu de ordinatione a Silvano Calaguritano contra regulas facta, celebri ad Hilarium Papam Epistola petendum sibi duxerint Apostolicæ Sedis oraculum [a]: „ Etiamsi, inquiunt, nulla extaret „ necessitas Ecclesiasticæ disciplinæ, expetendum „ tevera nobis fuerat illud privilegium Sedis Vestræ, quo susceptis Regni Clavibus per Resurrectionem Salvatoris, per totum Orbem „ Beatissimi Petri singularis prædicatio universorum illuminationi prospexit; cujus Vicarii „ Principatus sicut eminet, ita metuendus est „ ab omnibus, & amandus. Proinde nos Deum „ in Vobis penitus adorantes, cui sine querela „ servitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore „ laudatam, inde responsa quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur".

Idem probatur ex Actis in causa Symmachi. Accedat illustre aliud eorum temporum documentum ex his, quæ gesta sunt in causa Symmachi. Notior est res, quam ut multis explicari indigeat. Novas in Urbe turbas impotens con-

(a) Apud Labb. tom. V, col. 56.

citarat Schismaticorum odium in Pontificem Sanctissimum. Ea de causa, pacisque restituendæ studio Rex Theodoricus, tametsi a Catholica Fide alienus, ex omni sua ditione, Liguria, Æmilia, Venetia convocandos censuit Catholicos Episcopos, qui exortam controversiam Synodice definirent. Hi porro Sacerdotalis Ordinis, & officii memores Regi suggerere non dubitarunt, eum ipsum Pontificem [a]: „ qui dicebatur impe„ titus, debuisse Synodum convocare, scientes „ quia ejus Sedi primum Petri Apostoli meri„ tum, vel Principatus, deinde secuta jussionem „ Domini Conciliorum venerandorum auctoritas „ ei singularem in Ecclesiis tradidit potestatem, nec „ antedictæ Sedis Antistitem, minorum subjacuisse „ judicio, in propositione simili, facile forma „ aliqua testaretur “. Sed cum voluntatem Pontificis in colligenda Synodo, litteris ipsius testatam Rex ostendisset, Episcopi convenere in Synodum, sic tamen, ut nonnisi delata sibi a Pontifice auctoritate rem attingere aggressi sint; qui *affectu purgationis suæ culmen humilians*, in eum conventum consenserat. Quo etiam loco notatu dignum censuerunt Editores *insigne dictum Regis de causis Ecclesiasticis*, nimirum:

(a) Apud Labb. tom. V, col. 459, edit. Ven. ad an. 501.

„ In Synodali esse arbitrio, in tanto negotio „ sequenda præscribere, nec aliquid ad se præ- „ ter reverentiam de Ecclesiasticis negotiis per- „ tinere, committens etiam potestati Pontifi- „ cum, ut sive propositum vellent audire ne- „ gotium, sive nollent, quod magis putarent „ utile, deliberarent, dummodo venerandi pro- „ visione Concilii pax in Civitate Romana Chri- „ stianis omnibus redderetur ". Qua in rerum perturbatione Præsules, cum obstare iterum re- stati essent, quod antea de Sedis Pontificiæ au- ctoritate præmisissent, id tandem consilii cepe- re, ut causa tota Dei judicio reservata, Ponti- ficem, quantum ad homines respicit, ab objectis declararent immunem, ac liberum esse oportere.

Ex querimonia Sancti Aviti, ceterorumque Galliæ Antistitum.

Hujus porro Decreti exemplar cum in Gal- lias perlatum esset, species ipsa judicii de Pon- tifice suscepti vehementer Gallicanos Patres com- movit, quorum omnium, suoque imprimis no- mine Sanctus Avitus Viennensis apud Senatores Urbis, Senator & ipse gravi Epistola conquestus est, quæ tota foret describenda: = Sentire sci- licet ajebat Galliæ Præsules in lacessito vertice statum suum nutare: nulla lege, nulla ratione intelligi ab inferioribus eminentiorem judicari (quo loco cum inferiores aperte designentur Epi- scopi, qui Romanæ Synodo interfuerant, revin-

citur inepta Launoii cavillatio negantis *minorum* nomine in ea Synodo Episcopos intelligi posse): in Sacerdotibus ceteris posse quidem, si quid forre nutaverit, reformari: At si Papa Urbis vocatur in dubium, Episcopatum jam videri, non Episcopum vacillare: redditurum suæ dispensationis rationem, qui Ovili Dominico præest; ceterum gregis non esse Pastorem proprium terrere, sed judicis ⁐ . Hæc erat sexto ineunte seculo, certe ante Isidorianum ævum, de Pastoris Pastorum auctoritate vigens, ac plane confirmata gregis universi mens, & sententia, quam & continuata deinceps traditione propagatam, conservatamque præclare ostendit tercentos post annos Romanæ Synodi exitus in pari causa Leonis III. Scilicet Sanctissimo huic Pontifici multa ut & Prædecessori suo Sancto Symmacho ab impiis, factiosisque hominibus objecta crimina fuerant, quibus ut se purgaret, Caroli Magni studio & opera Synodum congregari curavit, in quam cum frequentes convenissent Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates, unanimiter audientes dixerunt [a]: „ Nos Sedem Apostolicam, quæ est „ Caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non „ audemus. Nam ab ipsa nos omnes, & Vica-

Ex gestis in causa Leonis III.

(a) Labb. tom. IX, col. 226, ad an. 799.

,, rio suo judicamur. Ipsa autem a nemine judicatur, quemadmodum & antiquitus mos fuit ". Tum ,, Domnus Papa coram omni Populo in Basilica Beati Petri Evangelium portans ambonem conscendit, & invocato Sanctæ Trinitatis nomine jurejurando ab objectis criminibus se purgavit ". Sic Leo, sic Archiepiscopi, sic Episcopi, & Abbates antiquam doctrinæ formam, quam pridem a Majoribus acceptam Gelasius ipse posteris tradiderat, illustri exemplo testatam suis vicissim Successoribus commendarunt. Sic jam porro Gelasius adversus quosdam obtrectatores in causa Acacii [a]. ,, Nobis opponunt Canones, dum nesciunt, quid loquantur: Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ Sedi, sana, rectaque suadenti, parere fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri. Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi, cu-

(a) Epist. 4 seu Commonitorio ad Faustum apud Labb. tom. V, col. 294.

„ jus potius decreta sequenda mandarunt .....
„ Quapropter non veremur, ne Apostolica senten-
„ tia resolvatur, quam & Vox Christi, & majo-
„ rum traditio, & Canonum fulcit auctoritas. Sed
„ cogitent magis, si quis in eis est religionis sen-
„ sus, ne pravitatem suam nullatenus deponen-
„ tes, apud Deum, hominesque Sedis Apostoli-
„ cæ perpetua constitutione damnentur". Hic si qui nihilominus pergunt non insulse minus quam obstinate prædicare jura isthæc omnia ex Isidorianis mercibus comparata esse, si quidem non eos pœnitet pervicaciæ, pudeat saltem inscitiæ.

V.

Tametsi nimis pauca præ innumeris, quibus abundat Historia Ecclesiastica, monumenta sunt, quæ raptim collecta, ac vix delibata protulimus, ex his tamen tot, ac tam perspicua existunt argumenta plenæ potestatis in Romano Pontifice, ut minime mirum videri debeat, quod velut quintum Insigne proponimus, magnificam appellationem istam *plenitudinis potestatis* adhibitam esse, qua singulariter & proprie Apostolicæ Sedis potestas designaretur. Quintum insigne. Potestatis plenitudo singulariter a Patribus Romanæ Sedi attributa.

Leo Magnus (Epist. 14 apud Baller.) Anastasium Thessalonicensem, tametsi pro Sedis Apostolicæ Vicariatu ampliore quadam potestate præ ceteris earum partium Episcopis utentem, his Hanc Sedi Apostolicæ asserit Leo Magnus.

nihilominus verbis admonere non dubitavit: *Vices nostras ita tuæ credidimus caritati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*. Cujus vim ita deinceps explicat, ut eam in Apostolica Sede constitutam intelligere quisque valeat, unde & concludit: „ De qua forma, Episcoporum quoque orta „ est distinctio, & magna ordinatione provisum „ est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis Provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & rursus quidam in majoribus Urbibus constituti, „ sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos „ ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura confluerent, & nihil usquam a suo capite „ dissideret ".

Tum & Innocentius III. Leonis vestigiis inhærens Innocentius III, ac perseverantis in Apostolica Sede traditionis retinentissimus, & vocem ipsam, & consentaneam ejus explicationem tum renovavit, quo tempore utramque exposcebat suscepta Ecclesiæ Græcæ cum Apostolica Sede reconciliatio. Quippe rogatus a Camatero Patriarcha Constantinopolitano, qua ratione Romana Ecclesia universalis dici posset, *ipsi*, ait Natalis Alexander [a], respondit Pon-

(a) *Hist. Eccl.* secul. XIII, & XIV, cap. I, num. 17.

tifex doctissimus, & Romanæ Ecclesiæ Primatum luculenter probavit *Epist.* 209, *lib.* 2. Sic porro rescripsit Pontifex Ecclesiam duabus de causis universalem vocari: „ Dicitur enim universalis Ecclesia, quæ de universis constat Ecclesiis, „ quæ græco vocabulo Catholica nominatur, & „ secundum hanc acceptionem vocabuli, Ecclesia Romana non est universalis Ecclesia, sed „ pars universalis Ecclesiæ, prima videlicet, & „ præcipua, veluti Caput in corpore; quoniam „ in ea plenitudo potestatis existit, ad ceteras „ autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et „ dicitur universalis Ecclesia illa una, quæ sub „ se continet Ecclesias universas. Et secundum „ hanc nominis rationem Romana tantum Ecclesia universalis nuncupatur ".

Innocentio III præiverat Bernardus, sic dictus *ultimus inter Patres, ut primis certe non impar* (*Præf. edit. novæ a Mabillonio præsertim adornatæ*) qui hoc etiam nomine ibidem laudatur, quod ex antiquorum Patrum, ac præsertim Augustini lectione mirum in modum profecerit. Atque is ad Innocentium II scribit his verbis (*Epist.* 198, *an.* 1141): „ Et quidem ex privilegio Sedis Apostolicæ constat, summam rerum ad Vestram potissimum respicere summam auctoritatem, & plenariam potestatem ". Nec non interjectus inter utrumque Bernardus.

Luculentius ad Mediolanenses Epist. 131, ann. 1135: „ *Plenitudo* potestatis super universas „ Orbis Ecclesias singulari prærogativa Aposto- „ licæ Sedi donata est. Qui igitur huic potesta- „ ti resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si „ utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus „ &c. &c ".

Scholasticorum item Princeps Thomas.

Minime vero a Bernardo sejungendus fidissimus alter Augustini Discipulus, & Interpres, Angelicus vere Doctor Thomas Aquinas, cujus auctoritatem nemo contempserit, nisi qui universorum Ecclesiæ Ordinum præclara de illo testimonia non vereatur impudentissime contemnere. Is porro potestatis plenitudinem Romano Pontifici, cum aliis locis, tum & disertis verbis asserit 2. 2. *q.* 89, *art.* 9, *ad* 3. Qua in parte Thomam præsertim excelluisse scribit Gersonius *Epist. ad Studentes Collegii Navarræi*.

Hæc eadem plenitudo asserta in formula fidei Græcorum in Concilio Lugdunensi II edita.

Nil quoque luculentius ipsamet a Græcis edita fidei professione, in Concilio Lugdunensi II; qua de Romana Ecclesia sic decernitur: „ Ipsa „ quoque Sancta Romana Ecclesia summum & „ plenum Primatum, & Principatum super uni- „ versam Ecclesiam Catholicam obtinet: quem „ se ab ipso Domino in Beato Petro Apostolo- „ rum Principe, sive vertice, cujus Romanus „ Pontifex est Successor, cum potestatis pleni-

„ tudi-

„ tudine recepisse veraciter, & humiliter reco„ gnoscit. Et sicut præ ceteris tenetur fidei ve„ ritatem defendere: sic & si quæ de fide sub„ ortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio „ definiri. Ad quam potest gravatus quilibet „ super negotiis ad Ecclesiasticum Forum perti„ nentibus appellare: & in omnibus causis ad „ examen Ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius „ potest judicium recurri; & eidem omnes Ec„ clesiæ sunt subjectæ, ipsarum Prælati obedien„ tiam, & reverentiam sibi dant. Ad hanc au„ tem sic potestatis plenitudo consistit, quod „ Ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem ad„ mittit ".

In Florentino Concilio asserta.

Huic professioni plane consentit, ac respondet celebris definitio edita in Synodo Œcumenica Florentina de *plena* potestate Romano Pontifici a Domino Nostro Jesu Christo in Beato Petro tradita pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam.

A Basileensibus ipsis agnita.

Quæ & antea foret ea de re universalis Ecclesiæ fides, ac sententia, supra ex Basileensibus ipsis audivimus, ut nulla jam dubitatio moveri ab homine possit, qui se velit Catholicum profiteri.

Dictum Leonis de Episcopis

Frustra igitur Boehmerus *l. I, tit.* 20, *§.* 7, ad hanc oppugnandam plenitudinem, ponderis a-

In sollicitudinis partem vocatis Petrus de Marca in volos detorquere nititur Vicarios Pontificis.

liquid habituram putavit auctoritatem Petri de Marca, quod & is docuerit: „ Eam ab initio „ allegatam fuisse intuitu *Vicariorum*, quod hi „ eamdem potestatem sibi arrogare non possint, „ quam ipse Pontifex habet, *cum in partem* „ *sollicitudinis tantum vocati fuerint, non in* „ *plenitudinem potestatis* “. Revera Petrus de Marca *De Concor. Sacerd. & Imper. lib.* V, *cap.* 26, *num.* 5, in exponenda epistola superius laudata Leonis Magni ad Anastasium Thessalonicensem præpostere adeo locum hunc tractavit, ut merito laudari potuerit a Boehmero: „ Hic „ locus, inquit, me admonet, ut effatum illud „ ultimorum temporum, nimirum ceteros Epi- „ scopos vocatos esse in partem sollicitudinis, „ sed solum Romanum habere plenitudinem po- „ testatis, captata occasione explicem, ostendam- „ que, Leonem non cogitasse hoc loco de au- „ ctoritate Romanæ Sedis in Universum, sed „ tantum de potestate, quæ Sedi Apostolicæ „ competebat in Provinciis Illyricianis, in cujus „ potestatis exercitio vices suas tribuerat Ana- „ stasio, ita tamen, ut ab eo vocatus fuerit in „ partem sollicitudinis, non in plenitudinem „ potestatis “. Quod tamen monet sic a se propositum, ut nolit propterea *summæ Romani Pontificis auctoritati quippiam detrahere*.

At vero ea in re Petrus de Marca, ut a veritate, sic plane a sententia Leonis, nec ullo vel ad speciem probabili argumento deflectit. Equidem scribit Leo ad Anastasium Sedis Apostolicæ in Illyricianis Provinciis Vicarium, monetque, ut meminerit se in partem sollicitudinis vocatum esse, non in plenitudinem potestatis. An inde consequens existimasse Leonem de Vicariis id tantummodo intelligendum esse, non item de ceteris Episcopis? Minime vero: Immo ad extremum Epistolæ exponens Leo Hierarchici corporis connexionem, qua unitas ejus continetur, in Episcopatu tametsi uno varios tamen gradus ita distinguit, ut cuique pro majori, vel minori præstantia, majus, minusve sollicitudinis onus incumbat. Qui majoribus Diœcesibus præsunt, hos, ait, majorem quoque sollicitudinem suscipere. Profectò qui majorem sollicitudinem suscipere dicitur, is quidem ad ampliorem quamdam sollicitudinis partem, sed tamen nonnisi ad partem vocari, non ad plenitudinem potestatis evehi intelligitur. Atque hoc quidem statuit Leo non de Illyricianis tantum Provinciis, sed universe, & generatim de Hierarchica totius Ecclesiæ constitutione. Quod si qui eminentiori loco præsident nonnisi partem sollicitudinis vindicare sibi possunt, quis jam querimoniæ locus,

Argumentis porro quam infirmis?

ubi audias Episcopum, dum singulari gregi legitima vocatione præficitur, atque ita præficitur, ut tamen & Majoribus Ecclesiastico instituto, & Romano Pontifici jure Divino subjectus esse debeat, eum, inquam, audias Episcopum *vocari in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*? Quod si oneri sollicitudinis par esse debet præstantia potestatis, ut imposito munere, qui præest rite perfungi valeat, praeclare ostendit Leo Magnus, qua demum in Sede plenitudinem potestatis locatam Christus esse voluerit. Quippe in his gradibus, quos distinxit, sic ab inferiore ad superiorem procedi demonstrat, ut per eos *ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura confueret, & nihil usquam a suo capite dissideret*. Ut proinde universali ei curæ, quæ universalem totius Ecclesiæ sollicitudinem complectitur, non alia ex æquo respondere valeat præstantia, quam quæ & ipsa universalis sit, ipsamque adeo potestatis plenitudinem exhauriat.

At quam levi argumento Petrus de Marca inductus est ad Leonis detorquendam sententiam! Hoc affert unum, num. 6 nimirum: „ Legatos „ Apostolicæ Sedis tamen etsi generalia mandata acceperint, debere se continere intra certos „ limites, & intelligere, sibi tributam non esse

„ vi legationis eam potestatis amplitudinem in „ Provinciis, quæ Romano Pontifici competit in „ causis Ecclesiasticis ". Esto. Quæ porro hæc est concludendi ratio? De Legatis Apostolicis effatum illud vere dicitur, *vocari eos in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis*. Ergo ex mente Leonis effatum illud de Vicariis tantummodo intelligendum est, non item de ceteris Episcopis, quasi non in hos pariter & illos cadere posset, ut quamvis diversa ratione, ex æquo in partem vocarentur sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis? Ait Petrus de Marca Legatos intelligere debuisse non eam sibi potestatis *amplitudinem* vi legationis tribui, quæ Romano Pontifici competit in causis Ecclesiasticis; hanc fuisse Leonis mentem quoad Vicarium Thessalonicensem, nec aliud ipsi propositum fuisse, quam ut denegaret Vicario eam potestatis amplitudinem, quæ sibi ut Romano Pontifici competebat. Accipiamus quod dat: jam ex hoc ipso expedita fiet, ac perspicua Leonis mens, ac sententia. Dic, Petre de Marca, cujusmodi est potestas ea, quam sibi Leo tribuit velut Romano Pontifici competentem? Respondet: ea est quam denegat suo Vicario. Iterum rogemus, cujusmodi potestas est, quam Leo suo denegat Vicario? Suis ipse verbis Leo respondet, ei a se

denegari *plenitudinem potestatis*. Si ergo quod suo Vicario negat, hoc ipsum sibi tribuit Pontifex: si hoc ipsum, quod negat, hæc ipsa est *plenitudo potestatis*, plane fit consequens, ut quam Vicario negat, eam sibi Leo tribuat plenitudinem potestatis, quæ uni competit Romano Pontifici.

Frustra quoque in eum sensum flectere aggreditur auctoritatem Innocentii III.

Perperam quoque Petrus de Marca suas in partes trahere nititur Innocentium III num. 7, propter litteras ad Legatum suum plenas majestatis, ex quibus colligitur hunc Pontificem hæc eadem de Legatorum potestate sensisse. Esto id quoque: sed etiam extat plena doctrinæ Pontificis ejusdem epistola, qua rescribens Constantinopolitano Patriarchæ docet in una Romana Sede, velut Ecclesiæ totius Capite *plenitudinem potestatis* existere; quod profecto absurdum nimis foret ad Legatos, vel Vicarios velle coercere, cum ibi non de Legatis, aut Vicariis, sed de universalis Ecclesiæ constitutione ageretur. Videat itaque Petrus de Marca quam belle ab his initiis in eam conclusionem devenerit, quam num. 9 exponit: „ Ex his ergo, quæ dicta sunt, „ colligi facile potest, Leonis I locum ex Epi„ stola ad Anastasium non esse intelligendum „ de plenitudine potestatis, quam Christus de„ derit Petro, & Successoribus ejus Romanis

„ Pontificibus, ita, ut ille solus plenitudinem illam habeat, ceteri vero vocati tantum ab eo „ sint in partem sollicitudinis ".

Mira scriptoris hujus halucinatio ejus effatū originem ad ultima tempora retrahentis.

Sed & istud multa dignum animadversione, quod captata occasione, ut ait, explicandæ Leonis epistolæ, occasionem potius quæsiisse videatur ejus sententiæ in contemptum adducendæ, quam velut *effatum* proponit *ultimorum temporum*. Immerito prorsus: nam ut de Leone ipso taceam, ut patentem etiam, ac perspicuam prætercam cum Bernardi ad Mediolanenses, tum Innocentii III perscriptam Episcopo Constantinopolitano, superiusque laudatam sententiam, num forte contemnenda videtur Petro de Marca auctoritas generalis Concilii Lugdunensis II, quo in fidei professione Græcorum publice lectum fuit hoc ipsum effatum, summaque consensione sancitum? Recogitet illud idem a Basileensibus ipsis non solum expressis verbis probatum, sed & relatum inter Dogmata adeo nota, & pervulgata, ut nec opus foret ea percensere. Quo ex loco saltem, ut supra vidimus, testimonium eruitur universæ illius ætatis Ecclesiæ, in quo si lapsa esset, fatendum foret, quod Catholicæ aures ferre non possunt, totam aliquando Ecclesiam in errorem delabi potuisse: par inde fuit in effati ejusdem prædicatione consequentis ætatis con-

stantia, nec Scholasticorum modo; quorum auctoritatem facilius est subterfugere contemnendo, quam non pancorum ejus ordinis hominum subtilem disserendi rationem, pari cum ubertate doctrinæ conjunctam, aut assequi disputando, aut evertere pugnando, aut calumniando eludere; verum & eorum, quibus multa in antiquitatibus Ecclesiasticis indagandis posita industria magnam nominis celebritatem peperit, quos inter, ex. gr. memorasse satis fuerit *Gersonem De statib. Eccles. consider.* 3, Bossuetium [a], Thomassinum, Natalem Alexandrum, cum aliis locis, tum maxime laudata *Dissertat.* 4, *pr. secun.* §. 4, *ad Object.* 3. Quæ quisque paullo attentius reputare secum ipse voluerit, plane intelliget nullum jam dubitandi locum Viro Catholico relinqui, quin plenitudo potestatis, quod attinet ad regimen Ecclesiæ, nativo ac singulari jure propria sit Romani Pontificis. Neque pigeat luculentam describere hanc in rem, cum gravi admonitione conjunctam Ludovici Haberti sententiam, *De Hierarchia Ecclesiastica* c. 4, §. 3. Qua forte perculsi nonnulli colligere se se incipiant, intelligantque quantum rei Catholicæ periculi ab iis immineat, qui Apostolico, a Chri-

(a) Serm. *De Unit.*

sto instituto, Principatui reverentiam ore profi- rentur, obedientiam opere detrectant. „ Quid „ referam, inquit, absurda, & propudiosa, in „ quæ veteres Schismatici, et Donatistæ, Euty- „ chiani, prolapsi sunt, ubi a Sede Apostolica „ recessere, cum Pseudo reformati quotidie fu- „ nesta exempla suppeditent, salutem Christianæ „ Reipublicæ absque communione cum Sede A- „ postolica non posse consistere? An non vide- „ mus illos extra Petri naviculam tanquam nau- „ fragos reciprocis variorum errorum fluctibus „ obrui, ac tandem misere perire? Quapropter „ aliorum malis edocti, & in Fide Catholica „ de Primatu Romani Pontificis confirmati, cre- „ scat in dies nostra in Sedem Apostolicam *re- „ verentia*, & *obedientia*, nec audiamus quo- „ rumdam oblocutiones, qui nævos in communi „ Christianorum Patre deprehendere arbitrantur, „ ne maledictionem Chanaam in nos provoce- „ mus “.

Nonnulla exposuimus Insignia, quæ omnis ge- neris monumentis, atque ex omni antiquitatis memoria petitis confirmata, & illustrata, in Ro- mano Pontifice præstantem illam invicte demon- strant potestatis plenitudinem, ad quam Episco- porum nemini adspirare liceat. Una scilicet Apo- stolica Sedes velut Radix, & Matrix, Mater,

In memoratis Insignibus Sedes alia nulla exæquari potest Romanæ Sedi.

& Magistra Ecclesiarum, omni ætate, in omnium oculis per universam Ecclesiam enituit, e qua Sacerdotalis unitas exorta sit, Episcopatus ipse, ac tota auctoritas ejus nominis emerserit, ad quam oporteat omnes Ecclesias, omnes qui undique sunt fideles convenire, cujus adeo sit, quid ab aliis observari debeat, præscribere: Unum qui ei Sedi præest Romanum Pontificem, non tantum velut Episcopum inter Episcopos primum, sed ut Pastorem Pastorum, Pontificum Pontificem Patres nostri omni memoria, omni studio, & obsequio coluere: Unum ex cujus Apostolico Principatu agnoverint venerandæ communionis jura in omnes dimanare, cuique proinde jus sit comunionis per universam Ecclesiam impertiendæ: Unum ad quem omnia quæ gravioris momenti geruntur, ad religionem spectantia referenda sint, ut aut ejus judicio probata, valeant, aut improbata, cadant irrita: Unum de quo certum, Episcopos, qui ab eo assumuntur, veros esse, ac legitimos Episcopos: Unum cui potestatis plenitudo excellenti quadam, propria, & singulari appellatione tribui valeat. Non hæc sunt a nobis excogitata, non noviter invecta, non latenter inducta, & per insidias, sed patenti, sed clara, & illustri Patrum prædicatione promulgata, Synodorum Decretis comprobata,

omnium gentium vocibus, & linguis Orbe toto celebrata.

Quis porro unquam inter Catholicos extitit Episcopus, cui aliquando venerit in mentem talia sibi decora appetere, qui ausus sit, aut Sedem suam velut aliarum Radicem, ac Magistram jactare, aut ostentare se se velut Pastorem Pastorum: a quo jura communionis in omnes dimanarent: ad quem graviora quæque referri oporteret, judicio ejus confirmanda, vel infirmanda? Atqui hæc omnia in eo insint, ac eluceant, necesse est, qui velit plenitudinem sibi potestatis asserere.

Hinc Augustini dictum, Romani Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatui præferendum.

Nimii sumus in re minime dubia. Cogitet jam æquus quisque rerum æstimator, num forte erraverit Augustinus, cùm Romani Apostolatus Principatum dixit cuilibet Episcopatui longe præferendum, an non potius ab Ecclesiæ sensu illi aberrent, qui aut huic Apostolatus Apici plenitudinem potestatis detrahere, aut eam initio communem omnium, deinceps vere in singulis Ecclesiis singulorum Antistitum propriam facere contendunt? Quæ si hoc pacto singulis Ecclesiis adesset, jam locum non haberet, in quo consisteret singularis illa potestatis plenitudo, quam in Apostolicæ Cathedræ Principatu Christus perpetuo vigere voluit. Quo isti animo ducantur

haud nos pigeat a Cælestino discere, *Epistol. ad Clerum, & Populum Constantinopolitanum* n. 4 [a]: „ Certum est, inquit, quia tales ser„ monum novitates de vanæ gloriæ amore de„ scendunt: Dum sibi nonnulli volunt acuti, „ perspicaces, & sapientes videri, quærunt, quid „ novi proferant, unde apud animos imperitos „ acuminis gloriam consequantur. Sed quis un„ quam veram gloriam, dum sibi sapiens vide„ tur, obtinuit "? Exhibere illi quidem suis scriptiunculis graves filiis Ecclesiæ molestias possunt, multos, quod pejus est, de via deductos post se abducere, sollicitudinem illam afferre, quæ tum major est [b], *cum intra Ecclesiam Ecclesiæ adversa dicuntur*, non fiduciam, non consolationem, non doloris medicinam auferre possunt, qua Deo militantes sustentabat olim, ac recreabat idem Cælestinus, hac adhibita præclara sententia: *Nunquam Regis Nostri Arma vincuntur*. Sunt autem Arma Nostra patientia, moderatio, æquanimitas, pia, frequens, assidua precatio, & sacrificatio, plena modestiæ caritas in eos etiam, qui minus liberaliter Nobiscum agunt; ut nulli reddentes malum pro malo, ne-

Quo animo, quibus armis, qua fiducia cum Adversariis pugnandum.

(a) Apud Coustant Epist. 14, col. 1131.
(b) Ibid.

mini dantes offensionem, bona provideamus non solum coram Deo, sed & coram hominibus. His armis instructi tum maxime potentes cum Apostolo (*I ad Cor.* 4, *v.* 7.) nos existimare debemus, cum infirmamur, nimirum ut *sublimitas sit Virtutis Dei, & non ex Nobis*. Omnino nunquam e piorum mentibus excidat, quod & ad nostram institutionem Christus Apostolos præmonuit: *Johan.* 16, *v.* 33: *Hæc locutus sum Vobis, ut in me pacem habeatis: in mundo pressuram habebitis: sed confidite. Ego vici Mundum.*

FINIS.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova

Avendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. *Gio: Tommaso Mascheroni* Inquisitor Generale del Santo Offizio di Venezia nel Libro intitolato: *Opuscula ad Hierarchicam Ecclesiæ Constitutionem Spectantia Stampa* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a *Nicolò Bettinelli* Stampator di *Venezia* che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 9 Gennaro 1789.

(Pietro Barbarigo Rif.
(Cav. Proc. Morosini Rif.
(Girolamo Ascanio Giustinian Cav. Rif.

Registrato in Libro a Carte 576, al Num. 2946.

Marcantonio Sanfermo Seg.

Adì 11 Gennaro 1789. Registrato a C. 155 tergo nel Libro del Magistrato degl' Illustr. ed Eccell. Sigg. Esecutori contro la Bestemmia.

Antonio Perazzo Seg.

Pag. 144	lin. 11	*in marg.*	vere	*lege*	agnovere
146	7	*in marg.*	acros		sacros
169	1		legandi		ligandi